Universitätsbibliothek Paderborn

# Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

urn:nbn:de:hbz:466:1-52193

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 3084.

I. V
21

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# EXEMPLA, DIVINÆ IRÆ, PER OPERA POENITENTIAE, NOBIS LENIENDÆ;

*PER QVADRAGESIMAM ANNO M. DC. XLVIII. narrata.*

à

**GEORGIO STENGELIO**

Societatis IESV Theologo.




*Adhuc quadraginta dies, et Niniue Subuertetur. Jon. 3. 4.*

Cum Priuilegio Cæſ. Maieſt. & Permiſſu Superiorum.
*Ingolſtadij Anno M. DC. XLVIII.*
Apud GREGORIUM HAENLINUM.

Socie[tatis] Iesu Collegii Paderbornensi. 1657.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PERILLVSTRI, ET GENEROSO
DOMINO DOMINO

# CAROLO
## COMITI A STRASSOLDO, INGOLSTADIENSIS, ACADEMICÆ, MAIORIS MARIANÆ CONGREGATIONIS
*PRÆFECTO MERITISSIMO.*

INter multos, qui me obligatum tenent, diu anceps fui, PERILLVSTRIS DOMINE COMES, cui librum hunc de POENITENTIA dedicarem. Præ omnibus tu placuiſti. Quando enim aliter non poſſum, vel ſic nomen tuum honorabo: immò librum meum potiùs nomine tuo decorabo. Academiæ noſtræ decus es, quid ni & librum decorares?

rares? Te inter primos videt Aurora Deo ſupplicantem, tum Muſis litteriſque litantem; te Sol oriens vel in templis ſacrificio, vel in Muſæis collegio, vel in ſcholis auditorio præſentem inuenit; te Meridies in menſa non tam epulantem, quàm de quæſtione aliqua vtili diſſertantem audit; te ipſum tempus animo relaxando tributum, cum Mathematico cernit vel terras metientem, vel oculis ad aſtra aſcendentem, cælo viſu pariter atque affectu affixum; te ſerus Veſper non teſſeris & fritillis, ſed libris: non luſibus, ſed Legibus vacantem aſpicit; te Sol occiduus, non vino marcidum, ſed ſcientijs irrigatum; non Baccho & Cerere, ſed Phœbo & Pallade plenum relinquit. Nox ipſa te obſeruat in tenebris lucentem. Neque enim per plateas, ſed per omnis generis hiſtorias ſoles circumambulare. Hæc te omnibus commendant, ſiue priuatim colloquijs tuis erudi-

eruditionem immiſceas, ſiue publicè atque inter ipſos Doctores in alteram partem diſputes. Hæc te, hæc Academiam noſtram ornant. Neque heſterna ſunt encomia iſta: talis eras, quàm diu nobiſcum eras. Immo talem te fuiſſe in Italia quoque, liber pænè grandi volumine, & laboratæ de tota Philoſophia theſes teſtantur, quas cum maximo plauſu Bononię propoſuiſti à te propugnandas. Et propugnatas eſſe ita, Iuriſconſulti experiuntur, qui te cum voluptate audiunt nodos ſuos tam rotundè diſſoluentem. Vno verbo multa dicam, in tanto Academicæ iuuentutis flore, paucos diceris tibi pares habere, nullum ſuperiorem. Et quamquam ipſe labor ac ſtudium litterarum haud immeritò inter virtutes ſolet numerari, plerumque tamen & indicium eſt, & comes virtutum reliquarum. Itaque argumentum prudentiæ tuæ non neceſſe eſt

aliunde petere. Vt enim nemo tempus & profectus ſui occaſionem negligit, niſi imprudens, & Epimetheus aliquis, ita quiſquis ſerit cùm ſerendum eſt, prudens habetur. Quæ prudentia, cùm, teſte Tullio, *ſit rerum expetendarum fugiendarumúe ſcientia*, tantò in te laudabilior eſt, quantò aliàs magis conſueuit eſſe ſenectutis, quemadmodum temeritas florentis ætatis; tantoque altior, quantò longiùs proſpicit, atque ea conſiderat, quæ ſunt poſt hanc vitam ſecutura. Hinc tanta in te legum addiſcendarum cupiditas. Quia iuſtitiam amas, vis ſcire iuſta. De alijs, qui ad iuſtitiam adminiſtrandam aſpirant, & tamen ita litteris dant operam, vt ne ſcire quidem, quid iuſtum ſit, velle videantur, quid ſperari poteſt? In te ſpes eſt, & ea, quæ ſuſpiciuntur in multis, ſi vel ſenes oſtendant ſe aſſecutos. Rara res eſt, ſuauis grauitas, & grauis ſuauitas. Hinc

Cic lib. 1. de Offic.

nemo

nemo in te fugit grauitatem, nemo contemnit ſuauitatem; ſermonem iucundum & comitatem tam multi prædicant; modeſtiam omnes verentur. Hinc, quod alij difficulter admonitione, tu vultu facilè obtines, ne te præſente quiſquam ore effundat, quod aures contaminet.

Hæc tanta morum honeſtas, cum eximia pietate coniuncta, Parthenios Academiæ noſtræ Ingolſtadienſis Sodales mouit, vt te ſibi præferrent præficerentque, talique & tam illuſtri Præfecto cœtum ſuum exornarent. Quam voluntatem etiam porrò continuarent, niſi tu Reipublicæ maturus, abitum cogitares. Decreuerunt igitur, memoriam nominis tui aliquo publico monimento eſſe conſecrandam. Exiſtimarunt enim virtutis tuæ teſtimonium, Congregationis ſuæ eſſe ornamentum. Obſequi igitur volui illorum voluntati; præſertim cùm vna eademque opera,

& Sodales meos, & *Exempla* mea *de Pœnitentia* tuis titulis laudibusque condecorarem. Quod tantò confidentiùs facio, quia non ſolùm in his multa narrantur de caſibus & admirandis operibus *Pœnitentiæ* Italorum, verùm etiam, quia ſcio, hunc librum ſine ſuſpicione myſterij, ei inſcribi, qui prouinciatim, & vbique ita vixit, vt non fecerit pænitenda.

Nimirum ſtirpis tuæ eſt indoles, nuſquam non gloriam promereri. Fulſit ante hac inter prima ſidera, in aula Florentina, Parens tuus; quem nequaquam terris abſtuliſſet natura, niſi tales virtutis hæredes ac ſucceſſores reliquiſſet. Eâdem via duo alij fratres tui gradiuntur. Neque degenerat, qui *Auguſtiſſimo Cæſari Ferdinando III.* inter Ephebos, aut alter, qui in militia ſeruit. Sed ante omnes mihi, priùs quàm te noſſem, ex eadem Cæſaris aula laudatus eſt is, qui in militia tam fortiter pugnando, pro

eadem

eadem Imperatoria Maieſtate, non ſolùm fortunas & opes ſuas expoſuit, ſed etiam ſanguinem & vitam profudit. Plus ei hoſtis dedit, quàm abſtulit: abſtulit mortalem vitam, & gloriam dedit immortalem. Itaque ante Iglauiam cecidit, vt inter heroës perenniter ſtaret: inter octo ſcilicet familiæ tuæ à ſexcentis jam annis florentiſſimæ bellatores (quorum duo Generales fuêre) qui omnes pro Cæſare, pro Religione, pro Eccleſia impigrè & acriter militiam colentes occubuerunt, ſtatuis & obeliſcis digni. Tu quoque, ſi ſic pergis, non ſolùm paria facies, ſed etiam longè eminentiora, vt ſicut inter CAROLOS, ita & inter MAGNOS numereris. Vale, & ſeu votum meum, ſeu vaticinium imple. Ingolſtadij, Anno ſalutis 1649. 16. Cal. Iunij.

*Seruus in Chriſto*

GEORGIVS STENGELIVS
Societatis IESV.

# PRAEFATIO.

*QVantum bella ſecum vehunt malorum, tantum boni pax habet. Idcirco, quicumq; rectè ſentiunt, pacem bello anteponunt.*

Sil lib. 11.

Pax optima rerum

Quas homini nouiſſe datum eſt: pax vna triumphis

Innumeris potior: pax cuſtodire ſalutem,

Et ciues æquare potens,

S Auguſtin. in Pſal. 84. Orig. in epiſt. ad Rom. 4. J. *exclamat Poeta.* Pax quid eſt? *ait S. Auguſtinus*, vbi nullum bellum eſt, vbi non eſt contradictio, vbi nihil reſiſtit, nihil aduerſum eſt; *ſeu, vt Origenes loquitur,* Pax dicitur, vbi nemo diſſidet, nemo diſcordat: vbi nihil hoſtile, nihil barbarum geritur. *Hanc igitur natura amat, ſuggerit ratio, optat quiſquis belli expertus eſt calamitatem.* Quæ

S. Auguſtin. lib. 19. de ciuit. c. 12. enim tigris (*verba ſunt S. Auguſtini*) non filijs ſuis mitis immurmurat, & pacata feritate blanditur? Quis milvus quantumlibet ſolitarius rapinis circumuolat, non coniugium copulat, nidum congerit, oua confouet, & quaſi cum ſua matre familias

ſocie-

ſocietatem domeſticam, quanta poteſt pace, conſeruat? Quanto magis homo fertur quodammodo naturæ ſuæ legibus ad ineundam ſocietatem pacemque cum hominibus, quantum in ipſo eſt omnibus obtinendam, cùm etiam mali pro pace ſuorum belligerent, omneſque ſi poſſint ſuos facere velint, vt vni cuncti, & cuncta deſeruiant? *Quid quòd, vt egregiè S. Gregorius Nazianzenus diſputat, omnia, quacumq; in hoc Mundo exiſtunt, ſolo diſsidio perire, ſola pace ſoleant conſeruari? Cælum & ſolum, omniaq; elementa, omnia regna atque imperia, omnes gentes & vrbes, omnes Reſpublicæ & communitates; ipſa Chriſti Eccleſia, ipſa corporis humani ſanitas & valetudo, conſenſu ſtant, diſſenſu cadunt. Boetij interrogatio eſt:* Noſtiné, omne quod eſt, tam diu manere atque perſiſtere, quamdiu ſit vnum, ſed interire atque diſſolui pariter atque vnum eſſe deſierit? *Denique pax & concordia, quaſi manu nos ducit, teſte Clemente Alexandrino, ad illam patriam, ad quam in cælo ſitam omnes aſpiramus, quæ* Hieruſalem, *id eſt,* pacis viſio *nuncupatur, vt monet Hipponenſis Antiſtes. Atque velut in compendio D. Gregorius Nazianzenus.* Quidnam, *ait,* in doctrina noſtra

S. Greg. Na-zian. orat. 1. de Pace.

Boët. l. 4. de Phil. conſolat.

Clemen. Alex. lib. 2. ſtrom.

S. Auguſtin. lib. 9. de ciuit. cap. 11.

S. Greg. Nazian.

ſtra præſtantiſſimum eſt? pax, addam etiam, vtiliſſimum. Contra, quid turpiſſimum ac pernicioſiſſimum? voluntatum diſiunctio.

in orat. de moderatione in diſputando.

*Quod cùm ita ſit, vnanimis vox eſt prudentum*, Pacem te poſcimus omnes, *&, vt ſanctior ait author*: Sicut nemo eſt, qui gaudere nolit, ita nemo eſt, qui nolit habere pacem; *quam facile eſt amittere, difficile recuperare. Vt igitur nulli, in ea reſtauranda, parcatur labori, Deus, per ipſum quietis tranquillitatisq́ amorem, homini ex ſe ſe nudo atque inermi deſiderium pacis ingenerauit, quod eſt primus gradus ad pacem perueniendi.* Inquire pacem, & perſequere eam, *ait Propheta. Et Apoſtolus*: Pacem ſequimini, Græcè, διώκετε, perſequimini, *in qua verba Theophylactus ſcribit*: Reputa etiam, quod dixit, perſequimini, hoc eſt, pacem etiam remotam, & quæ procul eſt, ſtudete comprehendere, eam ad vos ipſos attrahentes. *Quo pacto igitur tam diu deſideratam pacem attrahemus? Paucis id doceri poteſt, ſi dicamus, pacem, de qua loquimur, per pacem eſſe impetrandam. Maximè enim nunc quidem, cùm omnia bellis feruent, & periclitantur, de pace cum hoſtibus ineunda ſolliciti ſumus. Hanc autem*

Virgil l. 2. Æneid.
S. Auguſtin. lib. 19. de ciuit. c. 12.
Pſal. 33. 35.
Hebr. 12. 14.
Theoph. in epiſt. Heb. loc. cit.

*tem qua fronte à Deo petere poſſumus, quem ipſum ſcimus nos hoſtem habere? Si enim pax eſt quædam ordinata animi concordia cum Deo, cum ſeipſo, cum proximo; quo modo pacem obtinere cum proximo meremur, ſi ipſi pacem facere nolumus cum Deo?* Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. *Si pacem diligis, bello ne dederis cauſſam. Rari ſunt, qui pacem non inueniant, ſi bona fide velle cœperint. Sed his ipſis, quibus dulce nomen pacis, pax amara eſt. Pacem itaque petentes, paci obſtant; quia cum eo non conciliantur, qui* ipſe eſt pax noſtra, *& nos meritò tamquam pacis hoſtes habet, quam diu illius ſumus hoſtes. Quemadmodum igitur* bella gerimus ob eam cauſſam, vt in pace viuamus, *ita & Deus hoſtes hoſtibus ſuis immittit, vt ex hoſtibus faciat amicos. Amicis autem dicit:* Pacem meam do vobis.

Epheſ. 2. 14.

Ariſtot. lib. 10. Ethic. cap. 7.

Ioan. 14. 27.

*Quiſquis ergo pacem amat, & seriò optat, quiſquis armis eſt fatigatus, operam det, vt Dei amicus fiat. Fruſtra pacem ſe ſperat cum hominibus habiturum, qui non habet pacem cum Deo; quam quia peccatis violauit, pœnitentia debet redintegrare.* Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, & in vltimo vitæ ſpiritu, ſi admiſſorum pœniteat.

S. Auguſtin. de Eccleſ. dog. c. 48.

teat. *Ideò percutit nos Deus, vt nos cum Publicano pectus percutiamus, & auxilium eius*
Ierem. 31. 19. *imploremus. Hoc eſt quod Ieremias ait:* Conuerte me, Domine, & conuertar. *Et:* poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam. *Eſt itaque iſte circulus, creat nos Dominus, & beneficijs cumulat, nos ingrati pro beneficijs malefacta reponimus. Sed neque tum ceſſat benefacere, dum enim caſtigat, vult vt icti ſapiamus, ſanatq́ nos percutiendo: itaque dum ſentimus verberantem, ſub flagello, culpam agnoſcimus, iuſtitiamq́ eius prædicamus, quando fatemur, pœnam nos meruiſſe.*

Ouid. lib. 1. de Ponto.

Talia cæleſtes fieri præconia gaudent,
 Vt ſua quid valeant numina teſte probent.
Sæpe leuant pœnas, ereptaq́; lumina reddunt,
 Cùm bene peccati pœnituiſſe vident.

*Quoniam igitur inter medias luctamur procellas, & Mars eſt in furore, clamemus ad Dominum:* Salua nos, perimus. Sed non exaudiemur niſi pœnitentes. Neque perinde animum fontes floridos reddunt hortos, vt plantam deprecationis fontes lachrymarum irrigantes faciunt in ſummam altitudinem exereſcere, *ait S. Chryſoſtomus. Et D. Hie-*

Matth. 8, 25.

S. Chryſ. hom. 8.

*D. Hieronymus:* O felix pœnitentia, quæ ad ſe Dei trahit oculos! de Annæ fide, & S. Hieron. in Epitaph. Fabiolæ.

*Hac de cauſſa, meritò, quotquot ad populum dicimus, per præſentis Quadrageſimæ tempus, iuſſi ſumus pœnitentiam prædicare; cuius ego fructus, neceſſitatem, ac partes, per Exempla ſum explicaturus: neque ſine exemplo. Nam video id etiam SS. PP. factitauiſſe: vt enim homines ad ſuorum ſcelerum pœnitentiam adducerent, D. Baſilius, Dauidis, Achab, Manaſſis, Niniuitarum; D. Hieronymus, Eliæ & Ioannis Baptiſtæ; D. Auguſtinus, S. Petri Apoſtoli; D. Ambroſius, S. Mariæ Magdalenæ & Theodoſij Imperatoris lachrymas recenſuerunt. Recenſebo igitur & ego aliquot pœnitentes, quorum fletu & lachrymis dura diuinam iram prouocantium pectoria molliantur, vt & ipſa Deum molliant in lachrymas reſoluta.*

S. Baſil. hom. 8. &. 29. in diuites auaros, & de Pœnit. S. Hieronym. l. 2. in Matth. S. Auguſtin. ſerm. 104. & 124. de temp. S. Ambr. lib. 2. de Pœnit. Et in orat. funeb. de obitu Theodoſij.

# BELLI AMVLETVM.

*Quando finis erit bellorum? quærimus omnes,*
*Et pauci finem criminis eſſe volunt.*
*Non debet Superis indicere prælia, quiſquis*
*In terrâ placidæ tempora pacis amat.*
*Deſinat ipſe priùs peccando offendere Numen,*
*Qui non vult ſæui militis arma pati.*
*Quid iuuat irato pœnam non pendere cælo?*
DETERIOR BELLO EST PAX INIMICA
DEO.

CAPVT

# CAPVT I.

# QVALIBVS POTISSIMVM REMEDIIS, IN PVBLICIS MAXIMISQVE NECESSITATIBVS SIT VTENDVM, EXEMPLO ITALORVM?

QVi dentium dolore, alioué corporis morbo laborant, diligenter ſolent inquirere, quibus alij ſimili moleſtia affecti remedijs ſint vſi, & adiuti; vt in malo pari, paribus quoque adhibitis medicinis, ad priſtinam redeant ſanitatem. Dentium & mentium dolore, alijſque grauibus ac periculoſis nos affligi malis, totamque nobiſcum Germaniam, ne neſciamus, pulſata monent tympana, & buccinæ clangentes indicant; monent arma, quæ in officinis cuduntur; vel aliunde empta totis plauſtris in vrbem hanc noſtram inuehuntur; monent milites turmatim tranſeuntes; monent illi, qui cum frumento, cum jumen-

I. QVALE GENVS EXEMPLORVM HVIC TEMPORI MAXIME CONVENIAT?

iumentis, cum ſupellectili ſua vndique huc è pagis & oppidis vicinis immigrant, & tamquam ad aſylum quoddam confugiunt; oſtendunt deſertæ villæ, caſtella, mapalia; narrant noua non tantùm colloquijs, ſed etiam litteris ad nos perlata: teſtata ſunt tonitrua bellicorum tormentorum, quæ de vicino hoſte atque noſtro exercitu auribus noſtris inſonuerunt. In his tantis tàmque diuturnis malis, nihil ego video aptiùs vtiliuſque afferri in medium poſſe, quàm exempla eiuſcemodi, in quibus videamus, non modò eadem, ſimiliaué mala alijs accidiſſe, verùm etiam, qua induſtria, quibus auxilijs, aut artibus ſint propulſata. Omnes enim, qui rebus aduerſis agitantur, cupiunt ijs liberari: atque idcirco promptiſſimis ſtudijs, & auidiſſimis auribus audiunt ea, quibus poſſint liberari.

II. AVTHORES, TEMPVS, ET OCCASIO EXEMPLI. Abraham Bzou. to. 13 Annal. Eccl. Anno Chriſt.

In hanc rem exemplum affero, certum, teſtatum, fide dignum, & à pluribus poſteritati traditum; præſertim ijs, qui res Italas memorauerunt. Mihi duos nominare ſufficit, quorum vnus Abrahamus Bzouius Polonus Ordinis Prædicatorum Religioſus, is, qui Annales Eccleſiaſticos eminentiſſimi Cardinalis Baronij eſt proſecu-

tus; alter autem eſt Carolus Sigonius hiſto- 1260. Ad
ricus præſignis, à fide & ſtilo vbique lauda- 15. & 16.
tus. Res quam narrabo, contigit Anno Carol. Si-
Chriſti 1260. Alexandri Pap. IV. 6. Mi- gon. l. 19.
chaëlis Palæologi Imp. Orient. An. 1. Sed de regn.
vt ab ouo, quod aiunt, intelligatur, à ſuis Ital. Idem
initijs eſt repetenda. *Fridericum ex humanis* An. 1251.
*rebus exemptum interregnum inde XXIII annorum excepit*, ait Sigonius, *pluribus diſſidio principum ad Germaniæ coronæ culmen euectis; verùm nemine in Italia, aut ab Archiepiſcopo, aut à Pontifice regijs, aut Auguſtalibus inſignijs exornato. Quocirca regno Imperioq; vacante, ciuitates Italiæ impuniùs inter ſe arma conferre, partes acerbiùs inter ſe inimicitias exercere, populorum inſidiari libertati liberiùs potuêre. Nam vt prauas populorum factiones indigna ſuperiorum Impp. cum pontificibus certamina pepererunt, ſic ſæua tyrannorum imperia exigua ſequentium regum opes introduxerunt, quoad Regnum Italiæ in multos principatus diuiſum, prorſus ad nihilum eſt redactum.*

Audiuimus, & legimus ſæpe in diuinis III.
litteris, quantus fuerit Goliath, quantæ al- ITALIAE
titudinis, nimirum *ſex cubitorum & palmi*, AFFLI-
quantis armis munitus; quanta voce Iſraë- CTIO VN-
litas prouocans terruerit. *Audiens enim* DE?
1. Reg. 17. 4.

*Saul*, & omnes Iſraëlitæ, *ſermones Philiſthæi huiuſmodi, ſtupebant, & metuebant nimis.* Hunc Deus cùm vellet ad nihilum redigere, per Dauidem id fecit. Dauid autem lapillo vno deiectum, non membratim deartuauit, ſed *præcidit caput* eius dumtaxat. Hoc habuit, & ſatis habuit, nihil enim ampliùs eum ſua arma ærea, nihil membrorum vires, nihil vaſtitas corporis potuit iuuare. Quin etiam *videntes Philiſthijm, quòd mortuus eſſet fortiſsimus eorum, fugerunt*: Ad eumdem modum Deus ſi quod regnum vult diſſipare, caput eius percutit, regem tollit, aut excæcat, ſicut quondam Pharaonem:
Matth. 26. 31. Marc. 14. 27. Zach. 13. 7. Sic enim *Scriptum eſt: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis.* Vt autem in prœlijs, acie diſſipata, actum eſt de exercitu; ita in regno, ſi non eſt, qui congreget ac regat, populus in partes diuiſus, ſe ipſum perdit colliſus inuicem, qui inuicem deberet eſſe connexione firmatus. Atque hoc eſt
Luc. 11. 17. quod Seruator dixit: *Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Quod proinde etiam regno Italiæ factum eſt. 1. Capite caruit. 2. Membra ipſa inter ſe colliſa ſunt, vrbes nimirum & principes, ac totæ principum familiæ; vt neceſſe

neceſſe fuerit, domum ſupra domum cadere. 3. Quare Anno jam 1251. Innocentio adhuc Pontifice, Mutinenſes, Parmenſes, Bononienſes, Regienſes, Laudenſes, Mediolanenſes, Veronenſes, Cremonenſes, Mantuani, Patauienſes, Capuani, Neapolitani, quin & integræ Gibellinorum ac Guelphorum factiones aliorumque Principum ac Marchionum domus in motu fuerunt. Conradus Friderici filius, qui ſe Germaniæ ac Siciliæ regem nominabat, morte patris accepta, cum inſigni exercitu in Italiam ad obtinenda regna paterna traiecit. Poſtea acceſſit & fœda machinatio hæreticorum Mediolani, qui *Credentes* dicebantur, ægreque ferebant; ſe juſſu Innocentij extirpari. Mediolani duo Prætores conſtituti, vnus qui populo, alter, qui nobilitati jus diceret, quin etiam diſtractis in duas partes familijs, Turriani plebis, Sureſini cum Vicecomitibus Nobilitatis non tam tutelam, quàm principatum ſumpſerunt. Gibellini à Parmenſibus, Guelfi à Reginenſibus & Cremonenſibus recipi denuo cupiuerunt expulſi. Ac poſtea recepti Gibellini, Parmæ ædes ſuas euerſas expoſtulantes, noua cum Guelfis, qui eas diruerant, certamina

miſcuerunt. Variæ factiones, varia fœdera jam cum his, jam cum illis inierunt, vt ſe tuerentur. Conradus Conradinum filium, in ſua aduerſus Eccleſiam perſeuerans contumacia, hæredem Neapolitani regni inſtituit. Sed Innocentius illud cum exercitu recepit. Denique tametſi Icilini, Alberici ambitio, aliorumque tyrannis magnorum tumultuum cauſſa fuit, tamen potiſſimùm totius miſeriæ anſam præbuerunt, qui palàm contra Pontificem atque Eccleſiam arma tulere; quæ numquam veriùs dicere potuit, quàm tunc: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.*

Cant. 1.6.

IV. BELLI IN ITALIA MALA.

Nec verò res ludicra fuit. Per XXIII. annos regnum inſtabile fuit, ac tale, quale corpus humanum ſine capite; exercitus ſine duce; grex ſine paſtore, in quem lupi, vrſi, aliæque belluæ impunè graſſantur. Omnia ſuſpecta, omnia factionibus plena, vt ferè nemo alteri fidere auderet, neſciens cuinã parti adiunctus adhæreret. Perfidijs, ac proditionibus aulæ, curiæ, reſpublicæ omnes replebantur: honores, & officia, ſpe, promiſſione, pecunijs emebantur: conſilia nulla ſecreta habebantur; contributiones intolerabiles exigebantur; quòd ſi quis ſibi deeſſe

ceſſe argentum dicebat, in carceres rapiebatur, è quibus non exibat, donec vxor, vel cognati, vel amici, vnde, vnde, quod petebatur, corraſiſſent. O quot excurſiones? quot hinc inde deprædationes? quot populationes agrorum? quot domorum, villarum, pagorum, arcium, atque oppidorum exuſtiones factæ ſunt? Quot velitationes, quot pugnæ quot prœlia commiſſa? Inde quot campi cadaueribus tecti? quot flumina & amnes ſanguine purpurati? Quot nobiliſſimæ familiæ ſpoliatæ, afflictæ, extinctæ? Quot vndique exules, inopes, egeni prodierunt? Nam & cùm milites hibernare viderentur, quantæ rapinæ commiſſæ fuerunt? quot domus, arces, vrbes ſpoliatæ, quot iumenta abacta? quot abducti equi? greges interuerſi? Capti quàm miſerè in vinculis habiti? quàm ſæuis modis publicè interfecti? Neque capti tantùm, ſed obuij quique, & verè innocentes, ſupra omnem barbariem malè habiti; ita vt neque pueris, neque puellis, neque feminis maritatis, immo neque ipſis ſacerdotibus, neque Eccleſijs parceretur. Atque hæc non per multos tantùm annos, ſed per totam Italiam fuerunt; neque ipſa Roma quieta. Vna vrbs,

vna ditio, vnicum Siciliæ regnum, quoties jam ab hoc, jam ab illo occupabatur, premebatur, ſpoliabatur? Denique omnia ſuſque deque vertebantur, omnia ſine ordine, ſine conſilio, ſine iuſtitia, ex libidine, ex ambitione, ex furore agebantur.

V. INANIA ITALORVM BELLI REMEDIA. Iſa. 1. 7.

Quàm appoſitè tunc dici potuit: *Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur, ſicut in vaſtitate hoſtili. Et derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ vaſtatur.* Vt enim, facta vindemia, ſolet deſeri & euerti vmbraculum, ſeu teges, ſeu caſa, vt legit Tertullianus, in qua ante vindemiam vineæ cuſtos degebat, vt vuas & fructus à furibus & beſtijs tutaretur; ita vt, ſicut ex vmbraculo hoc diſiecto nihil ſupereſt, præter tigna & ſtatumina, hinc inde proiecta: ita ex Hieroſolyma, per Chaldæos primùm, deinde etiam à Romanis vaſtata & incenſa, præter ruinas, & diſperſos hinc inde ſanctuarij lapides nihil ſuperſit antiquæ gloriæ. Immo ſuccendetur ipſa, ſicut lectis & ablatis vuis & fructibus ſuccenduntur tuguriola cuſtodum in cucumerarijs. Quod autem Propheta tunc Iudæis

Tertullian. lib. contra Iudæos. c. 3.

dæis præſentibus locutus eſt, id etiam ſpiritu prophetico extendit, & loquitur alijs futuris, ſiue in Italia, ſiue in Germania. Porrò ita tunc deſolata erat Italia, vt neq; conſilium, neq; auxilium verum proſpiceret, ſed vana ſpe niteretur, vt ei dici poſſet, quod dixit Rabſaces: *Loquimini Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Aſſyriorum: Quæ eſt iſta fiducia, qua niteris? Forſitan iniſti conſilium, vt præparares te ad prælium. In quo confidis, vt audeas rebellare? an ſperas in baculo arundineo, atque confracto, Ægypto, ſuper quem ſi incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam? Sic eſt Pharao rex Ægypti, omnibus qui confidunt in ſe.* Ad ſimilem ferè modum tunc Itali malis fulcris regnum collabaſcens fulcire conati ſunt. Quidam opibus ſuis; quidam armis; quidam ſocijs ac confœderatis; quidam deditionibus vrbium ac ditionum; quidam virtute ac fide quorumdam inſignium ducum; quidam inani ſpe pacis componendæ ſe conſolati ſunt; quidam ad *Interponentes*, ad *Compromiſſa* confugerunt: nihil ſtabile effectum eſt; baculo arundineo nixi, ſeipſos non firmarunt, ſed vulnerarunt; decepti, non adiuti; & vel hinc à Deo

4. Reg. 18. 21.

puniti, quia toti humanis viribus confiſi, non ſenſerunt, vnde percuterentur, aut quò eſſet confugiendum. *Dimiſi eos,* ait, *ſecundùm deſideria cordis eorum; ibunt in adinuentionibus ſuis.* Quàm cæci ſumus, in rebus maximis mortales? In cibo, in potu, in veſtibus, in medicinis optima quæque optamus, quærimus, procuramus: in rebus ſummi momenti tantùm de auxilijs humanis, non diuinis cogitamus; improbiores Iunone illa quæ dixit:

Pſal. 80. 13.

Virgil. 1. Æneid.

> *Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo:*

nos enim priùs omnia tentamus, quàm ad Deum curramus: & multorum conſilium eſt:

> *Flectere ſi nequeas Acheronta, vel aſtra mouebis.*

Atque vtinam, poſtquam impiè priùs à iuratiſſimo humani generis hoſte fruſtra auxilium flagitarunt; ſaltem tunc ſaperent, & à Deo ſaluatore ſuo opem poſtularent: Ille enim eſt *refugium noſtrum,* ille *ſpes noſtra,* ille *noſtra fortitudo.*

Pſal. 30. 4.

VI. VERA BELLI FINIENDI REMEDIA.

In quem vt ſpem noſtram figamus, volui exemplum hoc recenſere; immo & ipſe Deus monuit, dum Italis tandem, poſt tot

annos, mentem meliorem iniecit. Audite Sigonium ſic loquentem: *Eodem anno mirabile quoddam ac planè nouum religionis ſtudium animos Italorum inceßit, vt ſe verberibus in expiationem peccatorum vrbes paßim agrosq́ obeuntes afficerent. Initium autem huius rei à Peruſinis inductum. Quippe Eremita quidam vir ſpectatæ ſanctitatis ſpiritu diuino inſtinctus, ad populum dicitur proceßiſſe, eumq́ Dei nomine monuiſſe, niſi ad pœnitentiam ſe conferrent, ac ſupplices pacem eius, & miſericordiam poſtularent, fore, vt breui vniuerſi miſera fœdaq́ lue conciderent. Quæ vox adeò in pectoribus eorum inſedit, vt nulla interpoſita mora, præcepta Eremitæ, tamquam à Deo miſſa exhauſerint. Etenim iam ſeneſcente autumno, viri fœminæq́ omnis ætatis ordinisq́ repentè corpora, perinde ac re compoſita, vſque ad vmbilicum nudarunt, ac ſe ſumptis ad id loris cædere per vrbem inſtructo agmine incedentes cœperunt, S. Virginem, vt ſibi à Filio ſalutem impetraret, ſummis clamoribus obteſtantes; atque iterum veteribus odijs poſitis, paces inter ſe mutuis oſculis adhibitis ſancientes. Inde vrbe vexilla longo agmine præferentes egreßi, ad vicina oppida prodierunt, eaq́ cum ingenti illarum admiratione ingreßi, in vijs ac templis*

Carol. Sigon. lib. 19. de regn. Ital. An. 1260.

*eam-*

eamdem pietatem exercuerunt. Qua re populi illi permoti, & ipſi pariter eiuſdem ſanctitatis ſtudium aſciuerunt, ac ſe verberantes, ac pacem & miſericordiam ingeminatis vocibus implorantes cateruatim ad vrbes proximas acceſſerunt. Atque ita ex Tuſcia in Marchiam, ex Marchia in Romaniam paßim, incendij more, ea religio tranſijt. Quippe ſinguli populi epiſcopis ac magiſtratibus ſuis præcedentibus, vrbes agrosq; ea æmulatione iniecta luſtrarunt, vt nullius ſexus, ætatis, ac conditionis homines eſſent, quin huius verberationis participes eſſe vellent. Ita fiebat, vt paßim incondita carmina in Dei, & ſacræ Virginis laudes compoſita canerentur; peccatorum confeßiones vix ſuppetentibus ad audiendum ſacerdotibus celebrarentur; atque omnino recta, quæ iam pridem exoleuerat, Chriſti diſciplina reuocaretur. Hæc verè religio ex vrbe in vrbem traducta, cùm populos paßim tamquam ſerpente quodam igne comprehendiſſet, demum ab Immolenſibus excepta, & quaſi per manus Bononiæ tradita ciuitatem ipſam mirabiliter inflammauit. Itaque & ipſi Nudati ſeſe mulctarunt, ipſi diuinam opem ſuppliciter popoſcerunt; ipſi cum inimicis in gratiam redire, & reliqua pietatis officia, quæ & cæteri, ſuſcipere contenderunt: ac demum ma-

nu fa-

nu facta hominum amplius viginti millium ante diem feſtum Omnium Sanctorum, ſub vexillis Mutinam proceſſerunt, ibiq; piè baſilica S. Geminiani epiſcopi viſitata, ſolennem hîc verberationem, poſitis veſtibus, inierunt. Qua pietate Mutinenſes accenſi, eamdem diſciplinam continuò ſuſcepêre, ſuſceptamq; Regium, ac Regienſes Parmam detulerunt. Cùm autem Parmenſes Cremonam adire pararent, ab Huberto Palauicino malum, ſi accederent, intentante deterriti, Brixiam, Derthonem, & Papiam ſe contulerunt. Inde à Nouarienſibus & Mediolanenſibus operâ Turrianorum excluſos, Taurinates, Charienſes, Haſtenſes, & reliqua Pedemontana ciuitates comiter acceperunt, atque ad eorum exemplum ſeſe ſubitò conformarunt. Derthoni verò Sinibaldus Opizonus pratura peracta, Genuam cum magno Derthonenſium comitatu reuerſus, veſtes in æde S. Franciſci depoſuit, ac ſeſe cum comitibus ſuis cædere cœpit, ac frequenter humi procumbens, miſericordiam ac pacem Dei, iteratis vocibus implorauit. Quod factum primò Genuenſes irriſerunt; deinde ſummo ſtudio ſuſceperunt, nec ſolùm inueteratis ſimultatibus renuntiarunt, ſed etiam priſtina vita, vtpote multis ſceleribus inquinata, ſe abdicarunt. Ceterùm hi homines vulgo

Denoti,

*Deuoti, & hic annus Generalis Deuotionis annus eſt appellatus. Manſit inde in multis ciuitatibus clara huius religionis memoria, ſacris Verberantium ſodalitijs eius rei monumento aliquot inſtitutis.*

VII. HAEC NON SINE BONA SPE IMITANDA.

Hic talis annus à nobis nunc debet agi; nec enim mala eſt imitatio. Quippe, non putandum eſt, hos Italos eſſe eos, *qui Flagellantes* dicti, pro hæreticis damnati ſunt; quia hi hæretici aliquot annis pòſt emerſerunt, Gregorio X. ſedente. Itaq; tunc cùm vniuerſa Italia, & præcipuè Hetruria, Æmilia atq; Lombardia bellis ciuilibus iactaretur, prælatam Crucem innumerabiles populorum cateruæ, à ciuitate Peruſina vſque ad circumuicinam, & ab hac ad alteram ciuitatem ſequebantur, profuſis cum lachrymis miſericordiam diuinam & finem tantorum malorum implorantes; & tum demum tumultuantes ciues ad pacem & concordiam inuitantes. *Habuit tunc Otto Cardinalis*, ait Bzouius, *perſpecta piorum deuotione diuinare ac dicere :* VICTI VICTORES VINCENT, NEC VMQVAM VINCENTVR: *alluſione facta ad Guelfæ factionis Florentinos, qui ante aliquot menſes à Gibellinis profligati fuerunt: ſpem tamen non omnino abieciſſent,*

*feciſſent, quam tum ex iuſtitia cauſſa, tum ex piorum precibus, tum vel maximè à diuino ſubſidio conceperant.* Hanc ſpem & nos concipere poſſumus, ſi eamdem habeamus conditionem.

VIII. CAVSSAE SPERANDI.

Atque hîc de iuſtitia cauſſæ nihil diſputabo, ſi enim de Religione Catholica agitur, tam parum de iuſtitia cauſſæ, quàm de ipſa Religione licet nobis dubitare. Poſſunt quidem fluctus excitari, & nauicula Petri fluctuare; mergi tamen illa non poteſt, quamuis in ea Chriſtus dormire videatur. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Agi autem de Religione nec Sueci negant, & Proteſtantes apertè fatentur; Catholici autem omnes vident, & experiuntur. Sumus itaque in hoc Italis pares, quia & tunc contra Eccleſiam agebatur. Quamquam autem Deus hanc tempeſtatem immittat ad probandam Eccleſiam ſuam, vt eam exaltet, iuxta illud: *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur, humiliatur;* tamen etiam alias quoque quàm plurimas cauſſas habet nos affligendi, ob peccata ſcilicet noſtra. Quid enim? an tribus illis innocentiſſimis viris innocentiores ſumus? aut ſanctiores? Illi autem in horribile

Matth. 8. 25

Matth. 16. 18.

Prou. 18. 12.

bile

bile illud fornacis incendium proiecti ita lo-
Dan. 3. 26. cuti ſunt: *Benedictus es, Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabile, & glorioſum nomen tuum in ſæcula: quia iuſtus es in omnibus, quæ feciſti nobis, & vniuerſa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera. Iudicia enim vera feciſti, iuxta omnia, quæ induxiſti ſuper nos, & ſuper ciuitatem ſanctam patrum noſtrorum Ieruſalem: quia in veritate, & in iudicio, induxiſti omnia hæc propter peccata noſtra. Peccauimus enim, & iniquè egimus recedentes à te: & deliquimus in omnibus: & præcepta tua non audiuimus, nec obſeruauimus, nec fecimus ſicut præceperas nobis, vt bene nobis eſſet.* Si talis eſt confeſſio trium illorum Sanctorum, quis noſtrûm
1. Ioan. 1. 8. audet ſe putare innocentem? *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Eſt quidem ita, vt, quemadmodum nigerrimi Æthiopes ſe arbitrantur minimè deformes, ſic & maximi peccatores ſe ipſos excuſent atque
Prou. 18. 3. exiſtiment minimè peccauiſſe; *quia impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit:* aſt in quo ſcintilla eſt lucis diuinæ, fidei, ac pietatis, facilè ſe agnoſcit præuari-
1. Ioan. 1. 10. catorem. Etenim *ſi dixerimus quoniam non*

peçca-

*peccauimus; mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis. At ſi confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Eſt ergo hæc altera cauſſa, ob quam nos bellis exercet, vt mundet, ac ſanet; Eccleſiamque ſuam velut agrum ſentibus obſitum purget. Nec antè ceſſabit, quàm nos ceſſemus ſentes, & ſpinas, & tribulos proferre. Vbi autem viderit, nos confiteri peccata noſtra, quod maximè quærit caſtigatione ſua, & ipſe gladium in vaginam reponet. Eſt enim velut peritus medicus, qui vt ægrotantem febri liberet, chirurgo aſtat, eumque iubet venam ægri ſecare, nec antè ſinit ſiſti ſanguinem, quàm videat tantum emiſſum, quantum iudicat neceſſarium ad ſanitatem: Ita Deus bella mittit & hoſtes, iſti ſunt Chirurgi Numinis, iſti tam diu mittunt nobis ſanguinem, donec Deus jubeat eum ſiſti. Non jubet autem, donec videat in nobis ſigna ſanitatis. Signa autem ſanitatis ſunt, ſi ad eum conuertamur.

IX. Avdiendos esse poenis

Quid moramur igitur? An nondum ſatis ſanguinis miſimus? An nondum ſatis perculſi obſtupeſcimus, neq; plagam ſentimus?

ENTIAE PRAEDICATORES. Itali ſaltem decimo turbarum ſuarum anno ad pœnitentiam cucurrerunt, nos jam trigeſimo anno hæc bella ſuſtinemus, & quàm pauci inde facti ſunt meliores? Toties, tamque diu percuſſi nondum expergiſcimur. Cur alibi remedia quærimus? cur in ſola potentia, pecunia, exercitibus noſtris ſpem ponimus? Cur nunc in iſtum, nunc in alium culpam reijcimus? Cur humana tantùm conſilia, & auxilia quærimus? Poſt omnia tentata & deſperata, *Eremita quidam vir ſpectata ſanctitatis ſpiritu diuino inſtinctus, ad populum dicitur proceſsiſſe, eumq; Dei nomine monuiſſe, niſi ad pœnitentiam ſe conferrent, ac ſupplices pacem eius, & miſericordiam poſtularent, fore, vt breui vniuerſi miſera fœdaq; lue conciderent.* Non dicam de noſtri temporis Prophetis, verbo, & calamo, ſeriò ad pœnitentiam hortantibus: Nonnè olim

Ion. 3. 4. *cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius: & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur? Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum: & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſq; ad minorem. Et peruenit verbum ad regem Niniue: & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum a ſe, & indutus eſt ſacco, &*

*ſedit*

*ſedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis, & principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quidquam: nec paſcantur, & aquam non bibant. Et operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum; quia conuerſi ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* Mirabile dictu. Niniuitæ homines erant peſſimi, idololatræ, vino, veneri, luxui, impietati penitus immerſi; & ad vocem vnius Ionæ, hominis ignoti ac peregrini, credunt ſe interitum meruiſſe; dicit vnus alteri, nec apud magnates diſſimulatur, *& peruenit verbum ad regem Niniue,* nec contemnitur, ſed illico ab omnibus obeditur, *à minimo vſq; ad maximum*; vſque adeò, vt etiam infantes à lacte, iumenta à paſtu & potu debuerint abſtinere, vnde ingens & infantum ploratus, & matrum commiſeratio, & pecorum mugitus clamorq; exortus, luctu & triſtitijs omnia compleuerunt.

runt. Quam pœnitentiæ faciem etiam vnicus Eremita apud Peruſinos introduxit. Hunc ergo ſiue Ionam, ſiue Eremitam & ego in publicum prodiens, hodie, imitor, & pœnitentiam prædico. Immò & alij me maiores, nimirum Epiſcopi ipſi, & ordinarij magiſtratus Eccleſiaſtici, qui etiam rogatu ipſius Sereniſſimi Electoris magis inſtigati, pœnitentiam, in omnibus cathedris prædicari voluerunt.

X. EXEMPLA POENITENTIVM SEQVENDA.

Itaque cooperemur Deo. Deus vult nos emendare; etiam ipſi igitur nos emendemus, & pœnitentiam agamus, vt *Deuoti* fiamus, ſitque annus iſte *Generalis deuotionis annus.* Habemus exemplum Niniuitarum, eſt poſitum ante oculos exemplum Italorum: Vt enim ibi vnum Eremitam ſecuta eſt ciuitas Peruſina, hanc autem vicinæ aliæ atq; aliæ; ita nos quoq; illas ſequamur. Ideò enim hoc illorum exemplum eſt memoriæ traditum, vt ſit poſteris pœnitentiæ monimentum. Si ciborum lautitias, ſi luxum veſtium, ſi capillorum ornatum, ſi ritum bibendi, ſi alias vanas vrbium aut regionum nouitates tam pronis animis imitamur, cur non & hinc exemplum trahimus, atque aliò propagamus? Illud ſponte, atque in perni-

ciem

ciem noſtram facimus; hoc facere, & quidem ad noſtram vtilitatem obligamur. Nam ſi incendium exoritur, omnes accurrunt ad illud extinguendum, partim charitate proximi, cui ſuccurrere volumus, partim timore, ne ad nos quoque flamma deriuetur. Cur non bello quoque ardente, & tam nobis ipſis, quàm proximis noſtris inſtante? Omnes peccauimus, omnes iram meruimus, non ſolùm milites, ciues, ſerui, domini, & principes, ſed etiam clerici, ſed ſacerdotes, ſed religioſi, omnes igitur Deum placatum reddere ſtudeamus. Italorum vltra viginti millia fuerunt, qui vnà de ciuitate in ciuitatem, de ditione in ditionem, pœnitentiæ ſuæ exempla circumtulêre. Neque putandum eſt, hos ſolos fuiſſe pœnitentes, atque alios, qui domi manſerunt, nihil piè feciſſe. Sed illi quoque domi, vbi & plus otij, & maior occaſio fuit ſe ſe caſtigandi, omnis generis pœnitentiam egerunt. Faciamus nos domi & foris, atque hinc, vnde alioqui ſcientia & ſapientia in alias vrbes & prouincias deriuatur, etiam pœnitentiæ opera propagemus. Si nullus eſt, qui non aliquando verbis, aut opere ſcandalum alijs dederit; compenſet iam: & viciſſim

bonorum operum exempla præbere non erubeſcat. Hoc jam dudum tam prolixis belli malis Deus à nobis quærit obtinere, vt Eccleſia priſtinum nitorem adipiſcatur, & vnuſquiſque in Domino renouetur. Parum enim refert, vtrùm Deus beneficijs ac miraculis, an plagis nos ad pœnitentiam vocet. Quare poſt triginta annorum bella Germaniam affligentia appoſitè ad nos dicere poteſt Christus: *Si in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.*

Matth. 11. Luc. 10.

XI. QVALIA OPERA POENITENTIAE EXERCENDA?

At quænam pœnitentiæ opera ſequenda? Feminis & paruulis non permitteretur, ſi publicè ſe ſe vellent verberare: zelus ingens Italos excuſauit. Viri & iuuenes hoc exemplum in templis & plateis abundè exhibuerunt. Interim domi ac priuatim neq; paruulis prohibitum, neque mulieribus eſt interdictum, vt corpus ſuum loris, virgis, flagellis, cingulis caſtigent: vt D. Magdalenam, D. Martham feciſſe credibile eſt; certum autem de S. Catharina Senenſi, de S. Tereſia, & de multis alijs Sanctis. Si Publicanus ille, qui *percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori, deſcendit iuſtificatus in domum ſuam,* cur non & il-

Luc. 18. 13.

& illi, qui percutiunt dorſum ſuum, quod Deo creatori ſuo obuerterunt? Si hoc non omnes poſſunt, vel ob imbecillitatem corporis, vel ob defectum occaſionis, vel alias ob cauſſas facere, at poſſunt peregrinari ad B. Virginem, vt Itali fecerunt; ad Saluatorem proximum, vel remotum, ad S. Oſwaldum, ad D. D. Exules Oettinganos, aliaque loca pia. Quòd ſi etiam, iam hoc tempore, iſtud eſt periculoſum, ob milites, attamen ſunt in vrbe templa, ſunt processiones, ſunt ſtationes; in quibus fas eſt exercere pietatem. Peregrini & hoſpites non ſinant filios ſuos in plateis vagari, ſed eos ad catechiſmum, ad preces, ad Miſſam ſecum adducant. Neque ſe, ob ætatem illorum, putent excuſatos. Si nondum poſſunt peccare, tamen poſſunt Deum placare ipſa ſua innocentia, vti in Italis, & olim in Niniuitis apparuit. Certè, more Italorum, D. Virginem Dei Matrem rogare, vt Filium nobis propitium efficiat, nemini non eſt in promptu. Sed in eo maximè imitandi ſunt Itali, vt, *veteribus odijs* poſitis, pacem inuicem ſanciamus. Cur enim nobis Deus pacem donaret, ſi nos ipſi inuicem bellare pergimus? Ante omnia tamen, hoc

exemplo Italorum, nobis eſt faciendum, vt *peccatorum confeßiones, vix ſuppetentibus ad audiendum ſacerdotibus, celebremus.* In quibus omnibus, ſi narratum exemplum imitemur, ſpes erit etiam illius diuinationis, quam ab Ottone Cardinali editam audiuimus: VICTI VICTORES VINCENT. Nam ſi Niniue tam impia ciuitas, poſt ieiunia, poſt cilicia, poſt ſquallorem cinerum, poſt gemitus, & ſuſpiria ac pœnitentiam, à diuina bonitate miſericordiam eſt conſecuta; cur nos non idem faciamus, vt idem conſequamur? Et quidem illi, qui aliàs honore præcedunt, periculaq; meliùs intelligunt, meritò etiam præcedent exemplo pœnitentiæ, atque hoc ſacro tempore, ſæpius peccata ſua expiabunt: ſicut in Italia ipſi Epiſcopi, & magiſtratus ceteris præceſſerunt. Illi autem, quos neceſſitas coëgit huc confugere, atque iumenta ſua in tutum transfere, vtiq; animæ ſuæ potiorem habebunt rationem, quàm beſtiarum ſuarum; cùm hac ipſa animæ ſuæ cura mereri poſſint, vt pecora ſua, & ædes ac villæ ſaluæ conſeruentur. Sine dubio Deus Italis tam atrocem immiſit tempeſtatem, vt ad pœnitentiam confugerent, citiùs liberandi, ſi citiùs reſipuiſſent. Ita

&

& vos Deus huc adduxit, vt occaſione, & loco, & ſacerdotum copia vtamini. Non eritis excuſati, ſi adhuc ſine pœnitentia permanetis. Nec miremini, ſi pecora veſtra cadant, ſi domus ſpolientur, aliaque vobis damna accidant, numquam ad cælum, atque ad Deum veſtram mentem erigentibus; neque ad confeſſionem recurrentibus, adeò otioſis. Domi labores ſubinde vos excuſant. Hîc nulli ſunt labores, nulla excuſatio. Nec dubito, plurimos ad confeſſionem, atque SS. Euchariſtiam quotidie aduolaturos; cogitabunt enim: ſi de hoc agitur, ſi hoc tantùm à me petitur, facile eſt ſemel confiteri. Sufficiet hoc quidem apud aliquos, apud multos tamen non ſufficit. Quia pœnitere multa requirit. Multis neceſſe eſt ſępius confiteri, vt diſcant confiteri, & hoc à Confeſſarijs doceri petant, Multis neceſſe eſt ſæpe confiteri, vt diſcant vitia conſueta, blaſphemias, detractiones, iuramenta, turpiloquia deponere, &c. multis neceſſe eſt, ſæpe confiteri, vt ſatisfaciant pro peccatis, nam inter ſaluberrimas pœnitentias eſt, ſi iniungatur, vt confeſſio ſæpe repetatur. Deniq; nonnè ſtultiſſimus eſt is ægrotus, qui morbum ferre non

poteſt æquo animo, & tamen illa medicina non vtitur, qua ſcit alios eſſe ſanatos? Audijſtis de Italorum, immò & de Niniuitarum pœnitentia, & ſanitate; ægrotatis, malè habetis, hoſtem, exterminium timetis; ſi pœnitentia tamquam medicina non vtimini, inſanitis; & meremini, quod Eremita Italis prædixit, niſi pœnituiſſent, euenturum. Non dicuntur hæc ad terrorem vobis inijciendum, non ad deſperationem faciendam, ſed vt ſpem concipiatis pacis breui ſecuturæ, ſi pœnitentia, ſi emendatio veſtra præcedat. Nam, teſte Cypriano, *Qui pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti plus & virtutis, & fidei, de ipſo lapſus ſui dolore conceperit exauditus & adiutus à Domino, quam contriſtauerat nuper, lætam faciet Eccleſiam, nec iam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam*; quia & victoriam, vt etiam huc quadret: VICTI VICTORES VINCENT.

S. Cypr. lib. de lapſis.

CAPVT

# CAPVT II.

## ICILINI ET ALBERICI, DVORVM FRATRVM, EXEMPLO OSTENDITVR, QVAM IVSTVS SIT DEVS, QVANDO ETIAM GRAVISSIMAS MORTALIBVS CLADES IMMITTIT.

MALA belli, ad quæ auertenda, tam ſeueri exempli pœnitentiam nos Itali docuerunt, vniuerſim, aut in genere dumtaxat commemorauimus. Nunc ex eodem authore Carolo Sigonio vnius familiæ cladem particularem audiemus, ex qua non ſolùm, velut ex vngue leonem, licebit totius belli calamitatem æſtimare; verùm etiam manifeſtè perſpicietur, tam neceſſariam nos habere cauſſam ad pœnitentiam confugiendi, quàm juſtam Deus habet, nos impœnitentes eiuſcemodi bellicis miſerijs affligendi. Erunt enim multi, qui ardentem illam Italorum pietatem, ad diuinam iram reſtinguendam, flagellaque auertenda vehementer laudent, ſed non imitentur, eò quòd ſe exiſtiment, eſſe innocentes, & cum Iudæis dicant; *Pa-*

I.
CVLPA CVLPAM NON AGNOSCENTIVM.
Carol. Sigon. An. 1259. & 1260. lib. 19. de regno Italiæ.

*tres*

Ierem. 31 29 *tres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt*; aut cum Poëta: *Quidquid committunt reges, plectuntur Achiui.* Horat. Plurimi enim ſunt, qui nihil belli pœnæ dignum putant à ſe commiſſum, & omnia in reges, principesque reijciunt. Quare non magnopere curant de pœnitentia agenda, cùm in ſe nihil reperiant pœnitendum. Quod ſanè etiam dicere potuiſſet illa multitudo flagellantium ſe ſe Italorum, (in qua vtique multi innocentes, immo & pueri, & puellæ fuerunt, quæ neſcierunt adhuc, quid ſit peccare) ſed non dixit; non dixerunt Niniuitæ, non tres pueri in Babylonica fornace; quia optimi quique, præ animi demiſſione, non ſe ſe ſolent excuſare, more ſuperborum, qui vbique ſe iudicant eſſe innocentes, etiam cùm maximè peccauerunt. *At iuſtus, prior eſt accuſator ſui.* Prou. 18. 17. Sed ad hiſtoriam veniamus.

II. ICILINI MISERIA ET MORS. Narrat igitur Carolus Sigonius, in illa turbidiſſima Italiæ tempeſtate, præcipuæ familiæ fuiſſe duos fratres *Icilinum* & *Albericum à Romano*, (cuius gentis potentiſſimæ ea erat vis, *vt facilè imperium conſecuta Lombardiæ fuiſſet, niſi ei ſumma diligentia fuiſſet occurſum*) poſt diuturnam felicitatem,

tem, poſt multos aduerſariorum fatigatos, in hanc fortunam incidiſſe. Icilinus, cùm ei Gulielmus Sureſinus Mediolani dominatum promiſiſſet, delectu ex ſuis & Germanis habito, Brixia mouit. Sed à Martino Turriano circumuentus, *cernens ſe in maximas, quas non putarat, anguſtias eſſe compulſum, cùm à fronte atq; à tergo ab hoſtibus vrgeretur, & ſumma commeatuum inopia preſſus inter oppida ac flumina hoſtilia clauderetur, ſummi prœlij copiam ſæpe fecit; quod vbi detrectari de induſtria vidit, ne ibi fame conficeretur, pontem perrumpere tranſeundi gratia ſtatuit: atq; eò progreſſus eius defenſores inuaſit, eosq; vi facta iam propellere incipiebat; cùm ſagittam ex propugnaculo pontis per baliſtam emiſſam in articulum pedis accepit, quod vulnus licet dolorem ingentem inureret, ipſe tamen euulſo ſpiculo aſtutè diſsimulauit. Vbi verò ſe per pontem euadere non poſſe ſenſit, Caſſiano, loco ſibi, vt à vate quondam acceperat, fatali relicto, Vicomercatum repetijt, atq; ibi amnem vt pridie, vado tranauit.* Ceterùm *Bergomum verſus properantem coniurati tandem adepti circumuenerunt, ac prœlio decertare coactum. III. Kal. Octobr. viuum in poteſtatem redegerunt. Hunc verò vbi captum pri-*

*uatus*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

natus homo conſpexit, adeò iram ex accepta iniuria contractam non tenuit, vt ipſum in caput grauiſsimè vulnerârit. Inermi inde in tabernaculum Boſonis adducto, vulgò milites ad eum viſendum, perinde atque ad egregium aliquod in terris ſpectaculum conuolarunt. Non defuere quoque, qui oculos fortuna illius miſerabili ſaturare, ac probra & contumelias ingerendo libidini ſuæ indulgere voluerunt. Quin etiam multi ſtimulantibus odijs ipſum ſuis manibus diſcerpiſſent, niſi Marchionum eos authoritas ab eiuſmodi temeritate retinuiſſet. Voces tamen multorum mortem crudeli tyranno identidem intentantium ſunt auditæ. Ille interim demiſſo vultu, triſtis, elinguis, ſine cibo, & ſine curatione, totum diem tranſegit. Inde ſuperueniente nocte à principibus, vt occideretur, Soncinum ſub cuſtodia miſſus eſt. Ibi curatus, & à Boſone pro officio bonum habere animum iuſſus, vndecim dies manſit, quibus tranſactis, demum dolore magis animi quàm vulnerum grauitate confectus, ſine pœnitentia annos LXV. natus deceſsit.

III. ALBERICI CALAMITAS ET TRAGICVS

Albericus autem, Icilino deleto, parum ſe tutò eſſe Taruiſij ratus, in caſtrum S. Zenonis nuper in finibus Taruiſinis ad eiuſmodi tempora conditum ſe recepit, atq; eò theſaurum ac familiam

*miliam tranſtulit, arcem verò in colle ſitam, foßis, muris, turribus atque omni genere machinarum, aduerſus quoſcumq; hoſtium impetus communiuit, eamq́; omni genere cibariorum in multos annos inſtruxit, Germanos atq; Italos ibi maximè probatos centum ſecum habens, atque alios viginti conſiliorum participes.* Anno 1260. non tantùm ipſe, ſed tota familia à Romano, tragico planè exitu, extincta eſt. INTERITVS. *Quippe Alberico ſæpe cum ſuis è caſtro S. Zenonis excurrente, atq; ipſum Baßianenſium & Taruiſinorum agrum infeſtum aßiduis prædis pecudum hominumq́; agendis habente, menſe Martio populi Marchiæ Azone Marchione adhibito conuocati conſilium inierunt, qua potißimùm ratione Albericum cum tota ſobole poſſent extinguere, ac tandem Marchiam non ſolùm tyrannide, ſed etiam metu tyrannidis in perpetuum liberare. Multis dictis ſententijs, demum communibus populorum opibus bellum illi internecinum inferendum conſtituêre. Quare armis, machinis, commeatibus ceterisq; rebus ad diuturnam obſidionem atque oppugnationem neceſſarijs expeditis, Patauini, Vicentini, Taruiſini, ceteriq́; finitimi populi cruce inſtructi Kal. May ad caſtrum S. Zenonis cum carrocijs acceſſerunt, ac caſtris poſitis ipſum ita*

cinxerunt, vt nemo aut inde erumpere, aut eò irrumpere, ſe inuitis, atq; inſcientibus, poſſet; eo animo, vt non priùs inde abſcederent, quàm caſtrum cum Alberico in poteſtatem adduxiſſent. Ita muris ſæpe trabuchis, manganis, gattis, lithobolisq; percutiendis, facibus telisq; in hoſtes iaciendis, prœlijs cruentis edendis, res vſque in menſem Auguſtum extracta eſt, quo tempore AZo integrum adduxit Ferrarienſium ſupplementum. Quod vt Meſa Germanus murorum cuſtos animaduertit, milites præſidiarios aduocatos in hanc ſententiam appellauit: Neminem veſtrûm eſſe arbitror, commilitones, quin quanto in periculo ſimus, & quam impari conditione pugnemus, intelligat. Nobis dimidia pars noſtrorum ſociorum interijt, & quotidie aliquis interit; quiq; ſuperſtites ſunt, aſsidua prœliorum contentione debilitati ſunt: hoſtibus contrà vires ac copiæ nouis in dies auxilijs ac ſupplementis augentur: nos victu rebusq; neceſſarijs indigemus: illis omnia, quæ cupiunt, abundè vndiq; ſuppetunt. Quin igitur, dum licet, atq; integra res eſt, nobis conſulimus, & poſtquam oppidum tueri non poſſumus, ſaltem nos & fortunas noſtras ſeruamus? Quam orationem cùm vniuerſi maximo aſſenſu probaſſent, XII. Kal. Sept. murorũ cinctũ hoſtibus tradiderunt

runt, cum eo, vt ipſi incolumes cum equis, armis, ac ſtipendijs ſuis abirent. Albericus autem, vt hoſtes intra mœnia vidit, ſe proditum ac perditum eſſe vociferans, ex Palatio in turrim editiorem cum coniuge & liberis ſuis refugit; atque ibi per triduum triſtitia ac mœrore confectus manſit. Poſtquam autem hoſtes arce occupata ſuffodiendæ turri cuniculos agere ſenſit, tum coniugem ac liberos lachrymantes, ſic lachrymans appellauit: Quo rerum articulo fortuna noſtræ ſitæ ſint, cernitis, quippe eò redacti ſumus, vt propediem in manus noſtrorum hoſtium veniamus: quos pro certo habendum eſt, in nos duriſsimè conſulturos, à quibus ſe multis modis violatos fuiſſe exiſtimant. Ego verò omne ſupplicium æquo animo patiar, ſi eos vobis innocentibus peperciſſe cognouero. Quòd ſi vobis vitam conceſſerint, memento te poſt necis meæ vindices profiteri, neque enim amicorum atq; affinium in Italia prompta vobis deerunt præſidia, & quotidie cogitate quemadmodum auitam virtutis ac fortitudinis gloriam conſeruetis. Atq; his dictis lecto incubuit, ac flens fortunam deteſtari ſuam incepit, inde collecto animo familiares ſuos acciuit, atque vt ipſi ſibi in extremo diſcrimine ſuo conſulerent, auctor fuit; monens vt ſeipſum ac familiam ſuam hoſtibus dederent, ac ſe,

*vxorem & liberos Azoni præcipuè commendarent, ut memor affinitatis, ſuam & filiorum ſuorum clientelam ſuſciperet, & ſe captiuum tenere ſatis haberet. Quibus acceptis Ludouicus Bononienſis, qui erat familiarium princeps, Badoario prætore Taruiſij accerſito, ſe illi tradere Albericum & familiam eius ſeruata incolumitate velle oſtendit, quod cùm ille, ſe accipere non poſſe, dixiſſet, ne ipſe ſe & ſodales ſuos conſeruandi tempus amitteret; Albericum cum familia prætoribus ac populis Marchiæ accipientibus tradedit; atque ipſe cum socijs, prout pactum fuerat, exijt. Ceterùm vt populi, ſe Alberici & liberorum eius compotes factos ſenſerunt, vix magnitudinem lætitiæ ac voluptatis capere animo potuerunt, ac concilio conuocato, & relatione de illis facta, omnes vno conſenſu extremo in eos vindicandum eſſe ſupplicio, neque vlli parcendum eſſe cruciatui cenſuerunt. Ita primùm filios eius ſex mares productos, tibijs brachijsq́; ipſorum, in conſpectu parentũ crudeliſsimè amputatis, mulctarunt; ac poſtquam membra ſingula à corpore puerorum auulſerunt, ea ori oculisq́; eorum adhuc palpitantia admouerunt. Vxor autem & filiæ duæ nubiles, quæ non ſolùm innocentia, ſed etiam ætate ac forma, quæ facilè omnium in ſe oculos conuertebant, miſericordiã*

*elicere*

*elicere jure debebant, ad ſtipites alligata viuentes, ac fruſtra fidem Dei hominumq́; flebiliter implorantes, ſubiecto igne cremata ſunt. Albericus vltimus, cui tam dirum ſpectaculum morte ipſa acerbius atque atrocius fuerat, poſtquam peccata ſua ritè confeſſus eſt, ipſo, ne loqui poſſet, ore occluſo, pedibus ad equi caudam alligatis per tota caſtra ſic tractus eſt, vt vnuſquisq; forcipibus bolum ex carnibus eius excerpſerit. Quare probris ac tormentis ad ſatietatem inimicorum affectus, cùm jam hominis ſpeciem atque habitum exuiſſet, expirauit. Vt autem cadauera filiorum per caſtra populi cuiuſq; diuiſa; ſic patris reliquiæ lupis ceteriſq; feris deuorandæ obiectæ ſunt, ac dirum inprimis humanæ conditionis exemplum, omnibus diuinam juſtitiam intuentibus præbuerunt. Hæc X. Kal. Septembris geſta ſunt Anno 1260. Poſtridie tumultu populari concito, caſtrum S. Zenonis euerſum, atq; inde Romanum quoque ſolo æquatum. Hic fuit exitus potentiſſimæ à Romano familiæ.*

IV. EX HVIVS TRAGOEDIAE MISERIA BELLI EXITIVM POSSE AESTIMARI.

Audiuiſtis tragœdiam? Hoc vnum vnius familiæ malum fuit. Similia complura bellum illud Italiæ peperit, cuius infelices fructus, ſuprà tantùm in genere recenſui; nunc vel hoc exemplum particulare libuit addere, vt ex vngue leonem cognoſceretis.

An placet bellum? an bellum bellum eſt? An non ad tam atrocia mala auertenda grandem cauſſam habuerunt Itali, vt per tot oppida & ciuitates, ac prouincias, circuirent, Dei miſericordiam; B. Deiparæ patrocinium, magnis vocibus implorarent? ſeque ipſos tam acerbis verberationibus caſtigarent, atq; peccata ſua confitenda diluendaque tot lachrymis cenſerent? Habuerunt vtique ſicut & nos, quibus eadem poſſunt contingere, & grauiora, quidquid enim vni euenit, poteſt euenire & alteri. Sed ne quis Deum iniuſtum, aut crudelem eſſe arbitretur, qui talia permittat, nemo putet talia permitti ſine iuſtiſſima cauſſa. Matth. 10. 29. *Nonnè duo paſſeres aſſe vaneunt: & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autẽ capilli capitis omnes numerati ſunt.* Multis paſſeribus meliores ſunt homines, quantò ergo minùs illis tam crudelia inferentur, inſcio, aut non permittente, vel immittente Deo? Audite igitur, quo modo ſe geſſerit Albericus, aut qualis fuerit Icilinus, & poſtea iudicate, cur illis tam atrocia mala ſint immiſſa.

V. ALBERICI CRVDELITAS.

Albericus Taruiſinos diuturna tyrannide afflixerat, fultus authoritate & potentia

fratris

fratris Icilini. Icilino igitur deleto, cùm ſe Taruiſij parum tutum fore videret, in caſtrum illud S. Zenonis ſeceſſit. *Antè verò quàm Taruiſio cederet, facinus omnium atrociſſimum, atque immanitate planè barbarum perpetrauit, quod Salimbenus illius ætatis æqualis memoria conſecrauit. Quippe ſæuiſſimo odio aduerſus Taruiſinos accenſus, viginti quinque ex vrbis primoribus, quamuis nulla ab eis iniuria prouocatus, arripuit, & ſuſpendio fœdiſſimo deſtinauit: ac mox XXX. nobiles mulieres illorum: aut matres, aut filias, aut ſorores, aut vxores in forum produxit, atque in eorum conſpectu vix ſe filij ſui nothi rogatu ab earum amputandis naribus temperauit, pallas tamen vſq; ad vbera ita præſecuit, vt etiam, quæ velanda erant, turpiſſimè denudarit, ac ſubinde ſuſpenſis viris, eas ſub patibulo tranſire, atq; oribus ſuis tibias expirantium tangere compulit. demum auxilij ac conſilij inopes trans amnem Silim traduxit, atq; ibi vaſta in ſolitudine dereliquit. Illæ autem omni humano ſubſidio deſtitutæ, ac vix mentis compotes factæ, poſtquam ſatis ſe ac fortunam ſuam muliebriter eluxerunt, pudendis parte veſtium circa mammas contenta vtcumque contectis, iter ad æſtuarium XV. millibus paſſuum diſtans intenderunt. Quò vbi ſummis*

Carol Sigon, lib. 19. de regn. Italiæ.

 *laberi-*

laboribus, per aſpera & inculta loca iam die ad occaſum inclinante, nudis afflicta pedibus peruenerunt, piſcatorem, quem fortè prætereuntem proſpexerant, ad ſe lachrymarum plenæ vocarunt, atque ab illo auxilium ingeminatis fletibus popoſcerunt. ille autem ſpecies eſſe dæmonum, aut marina monſtra aliquot arbitratus, primùm expauit; deinde propius animo collecto acceſsit: ac dira illarum calamitate perſpecta, miſericordia tactus, eis ſe, quoad poſſet, affuturum oſtendit; ac ſingulas exigua, quam habebat, cymba in breuem inſulam, vbi ſibi vile tugurium comparauerat, tranſtulit, atque ibi pro copia nocte comiter habuit. poſtridie verò prima luce maiore lembo impoſitas, Venetias omnes deuexit, atque eis in D. Marci baſilica conſtitutis, ſtatim Octauianum Cardinalem Pontificium Lombardiæ legatum, qui tum Venetijs erat, de nouo hoc atq; inter pauca fortunæ exempla memorando caſu edocuit. Quo ille audito perculſus extemplò ad eas peruenit, ac cibo ſuppeditari iuſſo, confeſtim populum vniuerſum ad concionem vocauit; vt rem turpem quidem auditu, ſed multò deformiorem aſpectu cognoſceret. Ita completo repentè foro ex editiore loco ſeriem huius hiſtoriæ oratione, quàm potuit acerbiſsima demonſtrauit, ac ſub hæc verba mulieres, ita

*vt venerant, nudatas ac dehoneſtatas produxit. Quibus rebus vniuerſi pro ipſarum indignitate ac fœditate permoti, ingenti ſublato clamore dicere cœperunt;* Moriatur deteſtandus tyrannus, ac viuus cum vxore & liberis concremetur, & tota eius progenies extirpetur. *Quibus ille vocibus excitatus ſubiecit; Præclarè admodum dicitis, veſtra enim oratio præcipuè cum diuina Scriptura conſentit, quæ inquit,* Non ſit bonum impio, nec prolongentur dies eius, ſed ſicut vmbra tranſeant, quia non timet faciem Dei. *Ego verò, quoniam tantum conſenſum, atque ardorem animorum veſtrorum non niſi Dei voluntate excitatum exiſtimo, auctoritate omnipotentis Dei & B. B. Apoſtolorum Petri & Pauli, & Legationis Apoſtolicæ, qua fungor, crucem aduerſus Albericum indico, ac plenam omnibus peccatorum remiſſionem indulgeo, qui vel ipſi contenderint, vel alios pro ſe miſerint, vel quodcumque adiumentum, ad hanc peſtem è terris exterminandam attulerint. Inde matronis ſenatui commendatis, vrbe diſceſſit. Ea res mirè vniuerſam Marchiam ad vltimas pœnas de Alberico etiam expetendas accendit.*

Eccleſ. 8. 13.

Quid mirum ſi illos accendit, ad quos pertinebat, cùm & vos iſta audientes accen-

VI. Alberico

MVLTOS SIMILES ESSE.

dat in indignationem? Et non putemus, Deum hominibus eſſe juſtiorem? Non cenſeamus, ſummum Iudicem, ex officio, tales plectere pœna talionis, ac paria paribus referre debere? quī palàm antedixit: *In quo judicio judicaueritis, judicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Si enim homines tam malè tractant Deum in creaturis ſuis, ipſum ſcilicet Creatorem qui in opere ſuo contumelia afficitur; quid ni Creator viciſſim in illos vindicaret? Nemo mortalium, vel ſpoliatus, vel domo expulſus, vel filijs, parentibus, vxore aut marito priuatus, vel qualicumque damno affectus, etiam ſauciatus, etiam ſemianimis relictus, dicat Deum iniuſtum; ille omnia videt, ille æquiſſimas habet nos caſtigandi cauſſas, quas ſi præ duritia cordis, aut mentis cæcitate non videamus, tamen diuinus oculus habet cognitiſſimas. Et vel idcirco nos plectit, vt oculos aperiamus, & videamus, nos meruiſſe, atq; vbi deprehendimus, peccata noſtra defleamus, atq; ad frugem redeamus. Qua de cauſſa optimi quiq; vbi aliquid illis aduerſi accidit, illico in ſe ipſos deſcendunt, & conſcientiam ſuam interrogant, an non fortaſſe Deum ad iram

Matth. 7. 2.

prouo-

prouocarint? Et profectò ſæpe etiam venialia peccata variarum afflictionum permiſſione puniuntur. Qui enim non curat, vt omnes Conditoris ac Redemptoris ſui offenſiones, quantum poteſt, caueat; dignus eſt viciſſim, vt ille non tantis eum beneficijs foueat, nec omnia mala ab eo propellat; juxta illud: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* Psal. 17. Quamquam multi, qui ſe exiſtimant eſſe innocentiſſimos, nocentiſſimi ſunt, & ſceleratiſſimi; cùm jam cæcum hoc ſæculum eò deuenerit, vt virtutes pro vitijs, & vitia ipſa habeat loco virtutum. Quàm multi enim reprehendunt eos, qui, cùm diſpenſatum ſit de eſu carniũ in quadrageſima, tamen à carnibus abſtinent? qui, cùm jam ſaturi, bibere & propinanti reſpondere recuſant? qui inhoneſta loquentes, aut detrahentes de fama alterius corrigunt? qui ſæpius confitentur ſua peccata? aut ad diuinam menſam accedunt? illos autem qui blaſphemare, qui alios ad duellum, aut ad alia ſcelera prouocare audent, laudibus extollunt? Vno verbo, an non ignominioſum, & milite, aut homine generoſo indignum paſſim cenſetur, ſi quis ad duellum inuitatus non comparet? ſcili-

cet plus refert non bellicoſum videri, quàm morti, excommunicationi, æternæ damnationi ſe exponere. Hæc, & innumera talia videt Deus, & non puniat? Nihil enim adhuc dicam de occulto odio, de tacita vindicta, quæ zelus putatur. Nihil de mille ſuperſtitionibus. Nonnè Cinigeros, homines maleficos, & dæmoniacos patri mendacij ſeruientes, *veridicos*, aut *veratores*, ſolent appellare? Ad eos, ſi quando ſciuntur in vicinia eſſe, luce palàm excurritur; & conſilia per eos à diabolo petuntur. Si eos putas mentiri, ſi nihil ſcire, cur conſulis? ſi autem vera dicere, cur non credis, quando tibi dicunt tua ſcelera? & te coram omnibus aſtantibus infamant? Mendacia pecunijs emis, & vbi veritatem gratis audire poſſes, eò non accedis. Poſſes enim audire apud Confeſſarium, apud Concionatorem: apud alios homines pios. Nihil dicam de mille titulis lucrandi, qui cùm ſint iniquiſſimi, colore tamen aliquo excuſantur: nihil de iniquiſſima oppreſſione pauperum, perſecutione innocentum: qua de cauſſa Chriſtus dixit: *venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Hi omnes, & alij quàm plurimi,

Ioan. 16. a.

cùm

cùm ſint nocentiſsimi, tamen ſe putant eſſe innocentes.

Sed quamuis tu ſanctus ſis, vide ne alienorum ſcelerum te participem efficias. Vel enim conſentis, vel conſulis, vel juuas, vel approbas, in quo alter delinquit, & iam iuſtam Deo Iudici cauſſam offers tui plectendi. Quod & Alberico contigit, Icilino fratri ſuo ſceleratiſſimo adhærenti; in quo, ſi cetera illi crimina defuiſſent, ſolo mille mortes meruiſſet. Audite, obſecro, qualis fuerit Icilinus. Is primò *vltro ſe Veronæ dominum appellauit, atq; ibi & Patauij primoribus ciuitatis per varias cauſſas interimendis intentus, eas ciuitates in tantam ſalutis propriæ deſperationem adduxit, vt plerique, ne illius criminatione iniquo judicio publicè interirent, vltro ſibi mortem conſciſcerent.* Poſtea *Icilinus Veronam reuerſus, eò impotentiùs quæſtiones proditionis exercuit, atq; omnes qui Veronæ, & Patauij aliquid aduerſus ſe vel dixiſſe, vel feciſſe dicebantur, publica ac fœda morte affecit, quos innumerabiles fuiſſe accepimus.* Tertiò, quia & Patauij inauditæ crudelitatis ſuæ habenas ita laxauit, vt nullum diem præterire pateretur, quo non in aliquem vel inſontem nouo aliquo necis genere tormentiúe debaccharetur.

VII. ICILINI IMMANITATAS.

Carol Sigon. lib. 18. de regno Italiæ, & lib. 19.

charetur. Quartò, *Icilino bello Mantuano parum proſperè facto, Veronam ſe referenti priuatus homo ſe obtulit, atque, audientibus omnibus, Patauium amiſſum renuntiauit. Quo ille nuntio exanimatus, vt ſe collegit; ipſum nuntium mendacij arguens ſuſpendi arbori juſſit; deinde alter ſucceſſit, qui ſecretò illud idem ſignificauit: tum Præfecti quidam eius venerunt, qui idem, culpam omnem in Anſediſium referentes, aſſeruerunt. Ille verò occulto dolore diſſimulato, Veronam adijt, ac toto accito in vrbem exercitu, portas claudi ac ſumma cura cuſtodiri mandauit. Mox conceptam iram omnem in Patauinos euomere cupiens, omnes Patauinos inermes in locum vnum coëgit (hi erant XI. hominum millia, quos apud ſe aut obſidum, aut militum, aut miniſtrorum nomine habebat) atque omnes ſatellitibus ſuis, varijs necis afficiendos generibus, tradidit. Ita intra octo dies cuncti aut ſuſpendio, aut igne, aut obtruncatione, aut fame deleti.* Quintò, Veronæ quoque *triginta octo Patauinos, qui ſuperſtites erant, morte affici in foro præcepit, quorum nemo erat, qui non ei aliquam aliquando operam fortem fidelemque nauaſſet.* Sextò, hæreticus fuit, qui non ſolùm libertati populi, ſed ipſi Eccleſiæ inſidiabatur, Ob quæ ſcelera, cùm

captus ærumnam ſuam lugeret, *Deum ſuorum ſcelerum vindicem adeſſe confeſſus, ſine pœnitentia homo omnium ſceleratiſſimus, ac Deo hominibusq; inuiſus, annos LXV natus deceſſit.* Atque hoc pacto in illo & fratre eius Alberico, filijſque eius miſerrimè deartuatis extincta eſt tota familia à Romano.

VIII. QVAM IVSTE A DEO HIS SVA CALAMITAS FVERIT PERMISSA?

His intellectis, quid jam iudicatis, Auditores? an his fratribus iniuria facta eſt? An non hi tyranni hæc, & maiora meruerunt ſupplicia? An non ipſi quodammodo Deum docuerunt puniendi ſeueritatem? Si enim homines tam grauiter ſæuiunt in ſe inuicem; & quidem in innocentes, an non & ſupremus ille judex in tam nocentes debet iraſci? Quod ipſe commonuit dicens: *In quo judicio judicaueritis, judicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7. 2. Neque turbare quemquam debet, quòd filij ſex Alberici, itemque vxor & filiæ duæ, quæ innocentes videbantur, vnà cum facinoroſo patre, tam immiti exemplo permiſſæ ſint cruciari & contrucidari. Nam inprimis etiam victores in ea cæde atq; vindicta excedere, & grauiter peccare potuerunt; neq; tenetur Deus peccata hominum, contra communem curſum naturæ, impedire

dire, ne iiſdem adimat agendi, hoc eſt, pœnas aut præmia promerendi libertatem. Sufficit ſi vnicuique dat gratiam ſufficientem, qua, ſi velit, poſſit pœnas æternas vitare, atque præmia promereri. Deinde quis ſcit, an fuerint innocentes? quàm enim difficile eſt vxorem marito, & filios parenti non conſentire, aut facta illius non approbare, potentiam non optare, & quocumq; tandem modo promouere? Et eſto aliqui (vt ſæpe fit) fuerint innocentes ac talibus malis per ſe non digni, tamen ſine iniuria à Numine illata, propter coniunctionem vitæ & habitationis, communi malo inuoluebantur. *Sicut enim in corpore naturali membrum quodlibet eſt particeps commodorum & incommodorum ipſius corporis; ita in corpore politico quodlibet membrum, etiamſi cauſſam cum alijs non dederit, communis proſperitatis & calamitatis eſt conſors. Neq; aliter iuxta ordinariam rerum legem fieri poteſt ob commorationem iuſtorum cum iniquis, quibus ſunt permixti, & in quorum medio degunt. Itaq; reſpectu talium, illa afflictio non tam eſt pœna, qua eorum peccata vindicantur, quàm exercitatio virtutis & patientiæ ad maiorem gloriam.*

Leonard. Leſſ. lib. 13 de perfectionib. diu c. 11.

IX. *Nemo tamen facilè in animum inducat, ſe talem*

talem afflictionem non eſſe commeritum: hoc enim eſt quod Dominus grauiter in S. Iob reprehendit, qui tantam ſe calamitatem non commeruiſſe contendebat. Nemo enim animi ſui ſtatum, vtrùm amore an odio dignus ſit, plenè nouit: nemo peccatorum pondera, & menſuras, quantumq́; pœnarum reſpondeat ſingulis, cognoſcit. Delicta, inquit Propheta, quis intelligit? ab occultis meis munda me. Quamuis enim Deus hanc calamitatem non immittat tibi ad peccatorum vindictam, ſed ad patientiæ probationem; non tamen hinc efficitur, te illam non eſſe promeritum, aut Deum non potuiſſe illam iuſtè pro peccatis irrogare, nam etiam quædam venialia ad hoc ſufficiunt. Si enim poſt hanc vitam nonnulla venialia grauiſsimis, & diuturnis purgatorij ignis ſupplicijs iuſtè puniuntur, cur non in hac vita quibuſuis calamitatibus, quæ pœnis purgatorij longè ſunt minores, vindicari poſsint? Hæc dici poſſunt ijs, qui ſe innocentes putant atq; immerentes pati. Quamquam ea nunc viuimus tempora, in quibus tanta malorum labem, tantaq́; quotidie videmus flagitia cumulari: quæ ſi velis accuratè conſiderare, per ſingula, ſi quidem accuratè id fieri queat, numquam poteris à lachrymis temperare. Sic enim omnia confuſa, ſic ſunt cuncta reſoluta.

NVLLVS DEBET SE INNOCENTEM PVTARE

Pſal. 18.

S.Chryſ. lib. 1. de contrit. cordis. cap. 1.

reſoluta, vt ne veſtigium quidẽ virtutis vſquam videas: nequitia verò & luxuria repleta eſſe cuncta perſpicias: & quod eſt infelicius, perurgentium nos malorum iam nec ipſi ſenſum capimus, nec alijs præbemus, nec alios monemus: ſed ſumus velut corpus extrinſecus quidem florens ac vegetum, intrinſecus verò tabe peſſimi languoris abſumptum. Et contigit nobis, quod illis ſolet, qui vel phreneſin patiuntur, vel mente capti ſunt, à quibus cùm multa turpia & perridicula vel dicantur, vel etiam gerantur, nec pudoris tamẽ aliquid, nec pœnitudinis capiunt: quin immo & magnifici ſibi, ac ſapientiores ſanis videntur, ac ſapientibus. Ita ergo & nos, cùm omnia, quæ ſanitati contraria ſunt geramus, ne hoc ipſum quidem, quòd deeſt nobis ſanitas, nouimus. At enim ſi fortè in corpore parum aliquid morbi pulſauerit, ſtatim & medicos adhibemus, & pecunias profundimus, & omni obſeruantia quod competit, gerimus: nec priùs abſiſtimus, quàm, quæ moleſta ſunt, mitigentur. Anima verò cùm quotidie vulneretur, cùm per ſingula lanietur corporis affectionibus, ac vitijs, uratur, præcipitetur, & modis omnibus pereat, ne parua quidem pro ea nos cura ſolicitat. Sed horum omnium cauſſa illa eſt, quòd omnes pariter hic morbus obtinuit: & tamquam ſi accidat multis

*multis ſub vno morbo languentibus, praſto eſſe neminem ſanum, certum eſt, quòd omnes pariter corrumpat, & abſumat incuria, dum nemo eſt, qui vel opportuna prabeat, vel importuna prohibeat: ita & nobis, dum nemo ſanus eſt, ſed omnes languemus, alij maiore, alij minore ex parte, nemo eſt, qui curet: omnes enim indigent cura.* Icilinum hæreſis, ambitio, odium, immanitas ad exitium adduxit. O quàm latè nunc iſta omnia dominantur! quanta odia, vindictæ, imprecationes, inſidiæ, proditiones gliſcunt! quæ luxuriæ inſania, quanta intemperantia viget? quanta rerum ſacrarum incuria? quanta vel obliuio, vel ignorantia eorum, quæ ad ſalutem animæ pertinent? quantus contemptus Eccleſiaſticorũ, & ſpiritualium medicorum? quanta nauſea admonitionum? vt non tantùm hæreſin, ſed atheiſmum homines paſſim profiteri videantur.

X. De menſura peccatis conſtituta.

Et Deus non iraſcatur? Deus non exurgat? Immo omnes Angeli in cælo, qui alioqui humanum genus tueri amant; omnes Sancti, qui alioqui ſolent eſſe miſerorum patroni; tanta conſpecta mortalium ſuperbia atq; impietate, diuino zelo accenſi, clamant: *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici* Pſal. 67. 2.

*eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant.* Et diligenter aduertant hîc, qui, peccato vno commiſſo, tam facilè cetera adijciunt, & putant perinde eſſe 100. ac 1000. ſcelera confiteri, vna opera, & æquè paucis verbis omnia fieri. Non eſt ita. Sicut enim quidam parentes, etſi non ſtatim filios ſuos, ob quæuis delicta, puniunt; ſed in ſublimi pariete, quò liberi oculos, non autem manus ad delendum mittere poſſunt, ſingula annotant ad metum illis incutiendũ, donec ad certum, qui ipſis placet, numerum perueniant: ita Sap. 11. 21. Deus, qui *omnia in menſura, & numero, & pondere* diſpoſuit, regnis, & prouincijs, & vrbibus, & ipſis etiam hominibus certã menſuram, numerum, & pondus conſtituit, ad quæ ſi perueniant, adeſt etiam cum communi flagello, vt eos plectat, aut etiam omnino extirpet: quia meruerunt, & diuturna impunitate peccandi licentia in immenſum augeretur, atque ad alios etiam exemplum ſerperet, ac præcipuè etiam vt alij iſtorum pœna moniti reſipiſcant. Hinc non eſt mirum, ſi Albericus & Icilinus tam diu permiſſi ſunt graſſari, donec cum tota familia extinguerentur. Tota vita Icilini fuit LXV.

anno-

annorum, quàm breue tempus? Et Italorum, vſq; dum Eremita eos interituros moneret, ni pœnitentiam agerent, tempus fuit vix decem annorum. Niniuitis autem Deus, per Ionam, indicauit, tantùm adhuc 40. dies eſſe conſtitutos. Quod ita etiam alijs vrbibus & regnis, & communitatibus, euenire, diuinæ litteræ haud obſcurè docent. *Generatione quarta reuertentur huc*; ait Dominus ad Abraham, *nec dum enim completa ſunt iniquitates Amorrhaeorum*: vt exſcindantur, & ſemen tuum eorum terram occupet. Quia id contigit, poſt quadringentos annos, tunc enim & illorum, & ceterarum gentium Chanaan completa eſt menſura iniquitatis, vt Iſraelitis extirpandi traderentur. Qua de cauſſa & Chriſtus minitans dixit: *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum*, qui Prophetas ad eos miſſos occidendo magnum ſibi impietatis cumulum ſtruxerunt; vos Dominum Prophetarum occidite, vt menſuram eorum impleatis, & *veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare*. Ita ſcelerum menſurâ impletâ, quæ diuinæ iuſtitiæ

Gen. 15. 16.

Matth. 23. 32.

Ib. v. 35.

decreto conſtituta erat primæuo mundo, diluuium immiſſum eſt. *Cumq; vidiſſet Deus terram eſſe corruptam (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram) dixit ad Noë: Finis vniuerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra.* Ita impletâ menſurâ Sodomitarum, ſulphur & ignis de cælo cecidit: *Clamor,* ait, *Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis.* Vt enim Præfecto aliquo ſubditos Domini ſui nimium premente, Dominus etſi non ſtatim vnius clamorem audiat, clamore tamen nimium inualeſcente, & totius multitudinis vocibus vel nolens excitatur ad vindictam: Ita Deus, tot peccatis in cælum clamantibus, adigitur ad verberandum. Quin *finis vniuerſæ carnis,* in excidio totius Mundi, tunc erit, cùm terrâ hæreſi, magia, idololatria, & atheiſmo refertâ, totius orbis menſura implebitur. Denique vniuſcuiuſque peccatoris interitus & perditio tunc venit, cùm menſura, quàm ei Deus conſtituit, implebitur.

Gen. 6. 12.

Gen. 18. 20.

XI. QVO MODO HAEC MENSVRA

Quid dormis igitur, ô peccator? quid peccatum peccato accumulas? fortaſſe hac nocte, fortaſſe hac blaſphemia, hac ebrietate, hoc

te, hoc adulterio, hac fornicatione, hoc furto, hac contumelia menſura tua implebitur, & in peccato morieris? fortaſſe hoc tuum peccatum erit vltimum, quo implebitur menſura totius communitatis; & illa propter hoc peccatum, aliorum peccatis adiectum, peribit; quod non fieret, ſi pœnitentiam cum Italis, cum Niniuitis, cum alijs egiſſes, menſuramq; peccatorum tuorum, potiùs euacuaſſes, quàm impleuiſſes. Hoc ſi omnes agamus, frænabit Deus hæreticos, & hoſtes noſtros ad nihilum rediget. NON A NOBIS, SED AB ADVERSARIIS SIT IMPLENDA?

Nam *habent hi quoque ſuam menſuram & terminum, cùm ſatis diu fideles afflixerint, & peccata peccatis ſine fine, ſine metu Numinis, cumulauerint: tunc & ipſis flagellum imminet, quo vel omnes, vel bona pars eorum diſpereat. Sic cùm Aſſyrij & Chaldæi populum Dei, & alias nationes ſæpius afflixiſſent, tandem & ipſorum regna cum maxima mortaliũ ſtrage euerſa ſunt. Idem VVandalis, Hunnis, Arianis, & alijs huiuſmodi Eccleſiæ flagellis ac peſtibus accidit. Idem noſtris quoque hæreticis eueniet, qui modò ad caſtigandam ſuperbiam, iactantiam, luxuriam, acediam, aliaq; Catholicorum peccata, ad tantam aſſurgere potentiam permiſſi ſunt. Cùm enim Deus eorum malitia & viribus ſatis* Leonar. Leſſ. de diuin. perfect. l. 13. c. 11.

*vſus fuerit ad fidelium caſtigationem, & menſura peccatorum fuerit impleta, etiam exſcindentur, & in ignem æternum, tamquam palmites præciſi, & omnino inutiles, proijcientur.*

# CAPVT III.

## DAMNATÆ FÆMINÆ EXEMPLO OSTENDITVR, SICVT HVIVS VITÆ MALA IN BONA, ITA VICISSIM VOLVPTATES IN ÆTERNAS CRVCES CONVERTI.

I. Cvr magis meriti minvs poenarvm habeant in hac vita?

SVPEREST adhuc vna quæſtio, de duobus fratribus, præcedente capite & exemplo, à nobis commemoratis. Cùm enim Icilinus hæreticus, frater autem eius Catholicus fuerit; cùm Icilinus fratre ſuo Alberico longè ambitioſior, iniuſtior, truculentior extiterit; cùm incóparabiliter plures, ac ſæuioribus modis iuſſerit contrucidari, cur, obſecro, Icilinus tam tolerabili, Albericus tam inaudito genere mortis è medio ſublatus eſt? Siquidem Icilinus, prœlio victus, captus, in caput vulneratus, & pede ſaucius, dolore magis animi, quàm vulnerum grauitate confectus deceſſit,

ceſſit. Albericus autem proditus, captus, ante oculos ſuos ſex filios membratim laceratos, duas filias cum vxore, viuas infelicibus flammis vſtulatas vidit, ac tandem pedibus ad equi caudam alligatis per caſtra tractus, forcipibusq; fruſtillatim diſcerptus Abſyrti alicuius inſtar miſerandum in modum interijt. Quid hoc eſt rerum? quænam iſta juſtitia eſt? Is qui parum peccauit, multum luit; & parum luit, qui fuit omnium facinorum reus? Hæcné pœnæ & culpæ æqualitas? iſtud diuinæ ſapientiæ iudicium? Omnino, & quidem æquiſſimum, ſapientiſſimum. Quia Albericus minùs malitioſus, Icilinus extremè in omne flagitium proiectus, vterque quidem grauia ſupplicia promeruit, Icilinus autē longè grauiora. Quid autem grauius inferno? Hinc de illo legitur: *Sine pœnitentia deceßit.* Albericus autem, *poſtquam peccata ſua ritè confeſſus eſt*, mutatis jam æternis Inferni pœnis, in pœnas temporales, nulla ſatis dira tormenta potuit ſuſtinere, quæ meritis æquipararentur. Immo plerumque hoc fit à filijs lucis, qui cùm videant, nullos eſſe, in hac vita, tam acerbos cruciatus, qui poſſint vel cum Purgatorij doloribus conferri, etiamſi ſint

innocentiſſimi atq; ſanctiſſimi, tamen maximas corpori inferunt afflictationes. Eremitæ, Monachi variorum ordinum, qui à mundo ſeparati vix ſciunt, niſi è libris, quid ſit peccare, quàm miſerè veſtiuntur? quàm aſperè cubant? quàm ſeuera ieiunia ſibi indicunt? Sit Ioan. Baptiſta in exemplum, de cuius veſtitu, habitatione, & victu, Euangelica docet hiſtoria. At qui plurima quotidie committunt flagitia, non tantùm nihil luunt, verùm etiam mollibus veſtiuntur, in vino, in conuiuijs & luxurijs aſſiduè verſantur, rident, ludunt, iocantur, fletum, lachrymas, pœnitentiam deteſtantur. Quod manifeſtum indicium eſt, pœnas illorum in alteram vitam differri. Si *ſaperent, ac nouiſſima prouiderent*, vtique huius vitæ incommoda omnia libenter tolerarent. Nunc non ſapiunt, neque ſatis credunt,

*Eſſe aliquos Manes, & ſubterranea regna*, hinc præſentibus bonis inhiant, & quidquid eſt durum, aut moleſtum auerſantur.

II. AVTHOR ET AVTHORITAS HISTORIAE

Ad hos erudiendos toties Scriptura ſacra inculcat memoriam gehennæ; toties clamant Prophetæ, toties ipſe Chriſtus va iſtud ingeminat. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis*

Iſa. 33. 14.

*cum*

*cum ardoribus ſempiternis?* Et Seruator: *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Quod etiam per illuſtria ſæpe exempla docuit Deus. Ego vnicum referam, ad hoc propoſitum valde idoneum; ex libro quem Sigebertus de Illuſtr. Eccleſiæ Scriptor. vocat librum *De vita & doctrina Patrum*; Gentianus Heruetus in præfatione verſionis ſuæ Palladianæ exiſtimat ipſum Palladium eum librum ſcripſiſſe; hiſtoriam certè in eo contentam refert Ioa. Damaſcenus in libro, qui inſcribitur, *De ijs, qui cum fide exceſſerunt ex hac vita.* Interpretatus eſt eum ex Græco Ioannes S R. E. Subdiaconus, edidit in lucem accuratiùs Heribertus Roſvveydus, vt adeò hiſtoria neque antiquitate, neque authoritate careat. Eſt autem talis.

Matth. 10. 28.

Sigebert. de Illuſtr. Eccleſ. Scriptorib. in Ioann. c. CXVII. Heribert. Roſvveid. in Vitis PP. l. 6. libello 1. de præuidentia, ſeu contemplatione. §. 15.

III. QVALIS FVERIT PATER TAM PIAE FILIAE?

Quidam ex Eremi patribus authoritate pollens & pietate, per varia circumibat virorum ac mulierum cœnobia, vt ea viſitaret. Is, in quodam loco ſenecta ætate virginem inuenit Deo, in aſſidua oratione, contemplatione, ieiunijs, aſperrimiſque corporis afflictationibus ſeruientē: cuius cùm

de virtutibus audijſſet multa, eam, vt fieri ſolet de Vocatione ſua interrogauit, ſcire volens cauſſam, ob quam, ſpretis mundi illecebris, ipſa tam duro ſe viuendi generi addixiſſet. Illa primùm oculos deiecta pudicos, aliquantulum cogitabunda tacuit; tum quaſi poſt deliberationem præmiſſam in cælum ſuſpiciens, manibusq; decuſſatim ſupra pectus iunctis, altùm ingemiſcens ita loqui cœpit. Mihi, ô pater venerabilis, adoleſcentulæ adhuc diuerſi moris erant parentes. Pater natura imbecillis, valetudine inconſtans, ſæpius ægrotans, quàm ſanus. Siue æger tamen, ſiue ſanus, ſemper modeſtus, grauis, manſuetus, patiens. Si quando vires ſinebant, numquã videbatur otioſus: aut enim in templo ſemper, aut in agro hortoúe verſabatur, vt Deum precando, terrã laborando coleret; tam ad aras, quàm ad areolas aſſiduus. Siquidem vbi ſuperis honores detulit, vel ſementem iecit, vel meſſe peracta fruges domum comportauit; itaq; turbas hominum vitauit, vt numquam ſub tiliâ ſtantes populares adiret, numquam publicè confabulantibus intereſſet, & vix vmquam ab ijs, qui in eodem vico degebant, niſi cùm vel in templum, vel in agrum

proce-

procederet, conſpiceretur; tantuſque erat ei taciturnitatis amor, vt eum ignorantibus eſſe elinguis, aut ſine voce crederetur. Maximam autem temporis partem in lecto, & morbo cubabat, dolore pariter & patientia plenus. Talis erat pater, quem non niſi alterum Iobum intuebar, aut magiſtrum pietatis.

Mater verò mea in contrarium palmam poſſidebat, ita firma corporis valetudine, adeò validis viribus, vt ab ineunte ætate & teneris vnguiculis, nullo vmquam fuerit morbo tentata, nec quidquam doloris experta ſit; ſed ab vtero matris vſque ad vltimum vitæ diem ſemper ſana robuſtaque extiterit. Nec forma illi deerat, niſi vultus decorem fœdaſſet morum turpitudo. Cùm enim pater frequentibus morbis impeditus, rebus domeſticis non quiret præeſſe, illi totius familiæ regendæ rerumque diſpenſandarum permiſit poteſtatem. Fuit autem peſſima diſpenſatrix: adeò, vt quamuis Deus magna ſatis nos opum abundantia donaſſet, tamen ea nobis non ſufficeret. Nimirum quales mores, talis adminiſtratio illius fuit. In primis à labore abhorrebat, vt à peſte aliqua. Sæpius foris quàm domi cerne-

IV. QVAM IMPIA FVERIT OPTIMAE FILIAE MATER?

cernebatur. In omnibus circulis, conuenticulis, angulis, ac frequentiſſimè in medio foro ſuam habebat ſtationem. Supra modum curioſa & garrula indagabat & vulgabat quidquid intra priuatos parietes accidiſſet aliorum. Adeò obuios quoſque compellabat, adeò prolixis, & fine carentibus ſermonibus detinebat, *vt putaretur, omne corpus illius lingua eſſe*, aut certè aures ambas in linguam defluxiſſe. Loquacitati huic accedebat impotens iracundia, & mira litigandi promptitudo. Vaniſſima licet eſſet, tamen veracior omnibus promtiorque videri cupiebat. Quòd ſi quis illius dictis vel cùm veniæ præfatione ſe oppoſuiſſet, illico erat in fermento, atque in conuitia & rixas efferueſcebat. Sed ante hæc omnia in illa turpiſſimum fuit, quòd vltro non inuitata, non vocata, auſa ſit adire viros, de quibus parùm honeſtè homines loquebantur: immò cum illis prolixè commorari; vinum bibere vſque ad ebrietatem. Quàm

Epheſ. 5. 18. verè monuit Apoſtolus: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria?* Vt enim, teſte Cle-

Clemen. Alex. lib. 2. Pœdag. mente Alexandrino, *iubar eſt anima ſicca ſapientiſſimum, & perſpicax, neque madeſcit vini halitu in modum nebulæ craſſeſcens*, vnde &

Hera-

Heracliti dictum eſt: *Anima ſicca ſapientiſſima*, cùm corporis temperiei reſpondeant animi mores, vt docet Galenus: ita eodem Clemente Alexandrino authore, *Vinum, & carnium ſagina, robur quidem adducunt corpori, ſed animum reddunt languidum.* Immo, vt S. Hieronymus loquitur, *Vbicumque ſaturitas & ebrietas, ibi libido dominatur; ſpecta ventrem & genitalia, qualis ordo membrorum, talis & vitiorum. Numquam ego ebrium caſtum putabo, qui etſi vino conſopitus dormiuerit, tamen potuit peccare per vinum. Dicat quiſq; quod volet, ego loquor conſcientiã meam. Scio mihi abſtinentiam & nocuiſſe intermiſſam, & profuiſſe repetitam.* Ac alibi: *Vinum, & adoleſcentia duplex eſt voluptatis incendium. Quid oleum flammæ adÿcimus? quid ardenti corpuſculo ignium fomenta miniſtramus?* Hinc non tantùm D. Paulus dixit ad Titum: *Iuuenes hortare, vt ſobrÿ ſint*; ſed Plato etiam adoleſcentibus vſq; ad decimum octauum ætatis annum vino interdixit. Qui etiam poſtea ita ſancit de vino: *In ciuitate nec ſeruus, nec ſerua vmquam vinum guſtet, nec ipſi quidem magiſtratus, illo quo magiſtratum gerunt anno; neque gubernatores; neque iudices, dum munus ſuum exercent, vllo modo vi-*

Galen. lib. 1. Quòd corporis temperiei reſpondeant &c.

Clemen. Alex. lib. 7 ſtrom.

S. Hieronym. in c. 1. ad Tit. v. 7.

Idem in ep. ad Euſtoch.

1. Tit. 2. 6.

Plato, lib. 2. de legib.

S. Hieronym. ep. 83. ad Oceanũ.

*num guſtent.* Nam, vt iterum monet D. Hieronymus, alio loco, *Vinolentia ſcurrarum eſt, & comeſſatorum, venterq́ mero æſtuans citò deſpumat in libidines.* iterumque; *Noë ad vnius horæ ebrietatem nudat femora ſua, quæ per ſexcentos annos ſobrietate contexerat. Lot per temulentiam neſciens libidine miſcet inceſtum, & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt.* Si hoc facit in viris vinum, in feminis quid non faciet? Hanc ob cauſſam Sotam Clinici Labullam Martialis ſic alloquitur:

Martial. lib. 4. epigram.

*Deſerto ſequeris Clitum marito,*
*Et donas, & amas, ἔχεις ἀσώτως.*

Hanc ob cauſſam & memoratæ Virginis mater, poſtquam cœpit bibere, etiam ſurrexit ludere, facta & *meretrix peßima*, & adultera impudentiſſima, ita libidine incenſa, vt non tantùm mœchos admitteret, verùm etiam vltro ſequeretur; & quidem adeò proſtitutè, *vt pauci de vico ipſo potuerint effugere libidinem eius.*

V. Boni patris mala, et malae matris

Pulchra hæc laus eſt feminæ in conſpectu filiæ ſuæ eiuſcemodi vitam agitantis. Maritus autem morbis identidem exercitus, & lecto alligatus, & alioqui colloquiorum non amans, non potuit vxoris adulteria indagare.

dagare. Præterquam quòd neque curioſus erat, & de ſua pietate alios metiri aſſuetus nihil mali de ſua coniuge ſuſpicabatur; eratque illa tam callida, vt mille fraudes poſſet furtis ſuis obtendere, & ſimplicem maritũ, vt lubebat, fallere. Nec licebat filiæ vel vno verbo mutire, quamuis multa videbat, multa audiebat à matre ſua fieri, quæ minimè conuenire intelligebat. Ita diu & vir in miſeria, & fæmina in felicitate ſua vixerunt. Tandem, inquiebat ad Eremitam Virgo, accidit, vt pater meus longa ægritudine fatigatus, è vita excederet. Quo mortuo, cœpit illico cælum nubibus contrahi, aër obſcurari, venti væſanire, nimbi fluere, micare fulgura, tonitrua mugire, & diſruptis nubibus fulmina cadere. Vno verbo, ea erat facies tempeſtatis, vt mundi decretorius veniſſe dies putaretur. Atque hæc procella tres dies noctesque continuò perdurauit. Quæ cauſſa fuit, vt morborum diuturnitate iam antè contabefactum corpus, toto triduo non poſſet terræ mandari. Quare, vt in talibus plerumq; fit, varij ea de re ſuborti ſunt ſermones, alijs occultis rerum cauſſis eam aëris intemperiem aſcribentibus; alijs palàm dicentibus, Sic eum Deo fuiſſe

BONA IN SPECIEM MORS.

exoſum,

exoſum, vt nec terra eum recipere velit ad ſepulturam. Triduo tranſacto, nondum ſedata erat tempeſtas, ſed cùm intra domum, diſſolutis in putredinem membris, fœtor cadauerosſus nimis creſceret, ædesque inhabitabiles redderet, pluuijs etiamnum durantibus, quoquo modo potuimus, ſine pompa, ſine luctu, defunctum extulimus, humauimusque. Patre, & qualicumque cuſtode amoto, mater mea, velut manu miſſa, in omnem peccandi licentiam effuſa, liberrimè faciebat, quidquid libebat. Nec iam foris ſuas quęrebat voluptates, ſed publicum proſtibulum facta, è paternis laribus lupanar faciebat. Multi illuc cirrati & cincinnati iuuenes, multi cani ſenes commeabant, denique quotquot otio tædioſi erant, illuc cum ſocijs, temporis fallendi cauſſa, ibant. In ſumma, ibi edebatur, bibebatur, ludebatur, ſaltabatur, cantabatur, eaque dicebantur ac fiebant, quæ neque narrari ſine rubore poſſunt. Dixiſſes, Cyprum eſſe, vbi non iam Thais, ſed ipſa Venus habitaret; ad quam, ſicut vultures ad cadauer, omnes vndique impuri confluxerunt agminatim. Ita, cùm diu in omni cœno turpiſſimarum voluptatum voluta eſſet, tandem mors eam

abripuit,

abripuit, neque diu, neque graui cruciatu ægrotantem, neque, vt apparebat, quidquam metuentem. Quin ea mortem illius conſecuta eſt aëris ſerenitas, vt cælum ipſum *inexequijs deducere funus eius* videretur.

VI. Virginis de vita institvenda deliberatio.

Hæc patris matriſque exempla habui, quæ, poſt matris obitum, puellarem egreſſa ætatem mihi ante oculos poſui; eo ſcilicet tempore, quo hinc ratio iam maturior meliora mihi ſuggerere conſilia potuit; inde autem ſanguis ardentior corporis illecebras ſuppeditare cœpit. Quadam igitur die in veſperam declinante, ſola in conclaui meo ſedi, vt ſeriò cogitarem mecum, quamnam biuij partem cenſerem arripiendam. Ex vna enim mihi parte vita patris, ex altera fortuna matris proponebatur. Spiritus patrem, caro matrem exhibebat. Rationi vita patris, ſenſui fortuna matris probabatur. Fuit verè bonus pater, inquiebam, fuit patiens, fuit manſuetus, fuit ſobrius; vixit, vt par eſt viuere hominem Chriſtianum. Occurrebat tamen mox alia cogitatio dicens: Sed quid eum iuuit ea vita? quid profuit abſtinentia? quid pietas lucri habuit? cùm nihil in vita ſua conſecutus

ſit boni, ſemper vel in labore, vel in dolore, atque omne tempus in corporis infirmitate, ac mentis tribulatione conſumens; ac ne coniugem quidem habens cuius officijs ac benignitate foueretur. Denique tam triſtis fuit vitæ eius finis, vt ipſum ei ſepeliendo cælum aduerſaretur. Si igitur vita, ſi virtus, ſi mores patris mei Deo placuiſſent, aut hoc, in terra hac conuerſandi genus in diuinis oculis bonum foret; cur tantam malorum ſegetem pater meus meſſuiſſet? An non meritò quiuiſſet dicere: *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias. Et dixi: Ergo ſine cauſſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* Itaque conſultiſſimum mihi eſt, ſemitæ matris inſiſtere, atque vitam ad illius normam inſtituere, ſectari voluptates, luxuriari, corpus libidini tradere, conuiuari, ſaltare, iocari, & nihil omittere eorum de quibus poteſt delectatio ſperari. Etenim mater quoque auſa eſt omnia, neque vllum eſt opus tam turpe, quod prætermiſit; in vino, in ebrietate, in ſaturitate, ſemper incolumis extitit, & ſa-

Pſal. 72. 11.

nà ; in omni lite, & licentia, in omni temeritate, fortunata. Ad extremum vitam quoque finiuit proſperè, & cælo velut applaudente. Quid igitur dubito? quid hæreo inter ſacrum & ſaxum? quid me ipſam in partes diſtraho, atque affligo? *Sic oportet me viuere, ſicut mater vixit.* Satius eſt enim oculis credere, & ijs quæ manifeſta ſunt, quàm ſibi futura & incerta promittere. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis.* Quemadmodum etiam hodie nonnulli ex deſperatione pacis dicunt: Nihil ampliùs orabo: non faciam quidquam pro pace, quàm diu jam fruſtra orauimus? O miſer, tunè Deo tempus præſcribis? Quàm diu ille te expectauit? & nondum pœnitentiam agis. Expecta & tu illum; qui non deſiſtet nos bello caſtigare, donec nos peccare deſinamus. Sed pergamus audire Virginem. Sap. 2. 6.

VII. ANGELI CVSTODIS APPARITIO, ET PATRIS OSTENSIO.

In hunc modum vbi iuueniliter ſtatui, inquiebat, cæcoque conſilio decreui miſera, matris exemplo, voluptatem omnium malorum matrem amplexari, nox aërem, me ſomnus occupauit. Dormienti aſtitit

quidam grandi corpore, ( Angelus erat ) aſpectu horribili, qui contracta fronte vultuq; ad iracundiam compoſito me intuens mirum in modum perterruit, voceq; aſperrima interrogauit: Et quænam verò ſunt cordis tui cogitationes? Ego autem aſpectu habituque eius tremefacta, oculos in eum figere non audebam, ſed, vt territi ſolent, voce amiſſa, tacui. Cùm ille maiore quàm priùs voce vſus, denuò iuſſit, vt ea, quæ ſtatueram, ſibi recenſerem. Ego autem timore plena, meique ipſius, & cogitationum mearum oblita; *Nihil eſſe dicebam.* Tum ille, me negante, omnia mihi, quæ tacita mecum meditata fueram, in memoriam ordine reuocauit. Quid facerem conuicta? faſſa ſum, quod decreueram, ſupplexque ad preces confugi; vtque veniam conſequerer, cauſſam candidè aperui mearum cogitationum. Quam poſtquam retuli, dixit mihi:

Pſal. 36. 7. *Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua: in homine faciente iniuſtitias.* Et quandoquidem diuerſi moris parentes habuiſti, & tibi placet alterutrius veſtigijs inſiſtere, veni mecum, & priùs vtriuſq; ſtatum vide, poſtea, quam volueris, vitam tibi elige imitandam, Dixit; & manu apprehenſam ſecum

traxit.

traxit. Sequebar illum, & veniebamus in ingentem amœnumq; admodum campum. Vbi horti floridi, varijs arboribus conſiti jucundiſſimè inumbrabantur. Fructus autem diuerſi & generis, & coloris, inter viridantes ramos, pependerunt. Tanta autem erat loci illius fragrantia atque pulchritudo, vt me in Paradiſum translatam exiſtimarem. Inter omnia autem mihi gratiſſima, accidebat defunctus pater, lætiſſima mihi facie occurrens, atque in amplexum ruens, meque oſculo ſalutans, & filiam ſuam appellans. Ego gaudij plena, in amplexu eius hærens, cùm ſatiari eius aſpectu non poſſem, rogitaui eum, vt mihi cum illo ſemper inibi permanere fas eſſet. Ille verò, Nunc, inquit, filia, non potes hîc mecum permanere; quòd ſi autem vitæ meæ veſtigia ſequi volueris, certò huc, breuique tempore es peruentura. Addebam ego preces precibus, & cupiebam cum eo perſeuerare, ſed qui eò me duxerat, iniecta manu, rurſus me inuitam admodum & renitentem abſtraxit, dicens: Ades, oſtendam tibi & matrem tuam, vt ſcias, in cuius tibi mores ſit declinandum.

Hîc jam non Virginem illam ampliùs VIII.

POENAE SENSVS IN INFERNO. ea, quæ vidit, narrantem, ſed, quæ narrauit, me ipſiſſimis Scripturis ſacris confirmantem audire, ne ſomnia vos audire exiſtimetis. 1. Rapta eſt ſpectatum inferni pœnas, *in terram miſeriæ & tenebrarum opertam mortis caligine, vbi ſempiternus horror inhabitat*: nimirum *in tenebras exteriores*; qui enim ſpretâ luce diuinâ & ſpirituali, amârunt tenebras mentis interiores, ijs meritò *caligo tenebrarum reſeruatur*, quæ tenebræ exteriores vocantur, tum, quia ſunt extra mentem in aëre, vel ipſo igne; tum, quia ſunt extra regnum Sanctorum. Ibi erat quidem ignis, ſed ſulphureus, qui parum lucet, & quidem luce non læta, ſed pallida & mœſta. quæ, vt Plinius de ſulphure ſcribit, *ſuo repercuſſu pallorem dirum præſentibus ſuffundit*. 2. Has tenebras augebat atra nebula, ſeu fumus ſulphureus, iuxta illud: *Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum*. 3. Hic fumus ex fornace ſulphure ac pice plena, cum terribili ſtridore ac perturbatione, ſurſum tendebat, ingenteſq; excitabat procellas, iuxta illud: *Ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*; & illud Iudæ, *quibus procella tenebrarum ſeruata eſt*; quia fumus & flamma ſulphure & pice

Iob. 10. Matth. 8. 2. Petr. 2. 17. Plin. lib. 35. cap. 15. Apoc. 14. 11. Pſal. 10. 6. Iud. in ep. v. 13.

pice permiſta ſurſum vi maxima expulſa, ſummis inferorum partibus illiſa, ac repulſa, vehementiuſque exardeſcens terrificum ſonitum excitabat. 4. Audiebat *fletum, & ſtridorem dentium*, & lamentabiles deſperatorum vlulatus. 5. Verè, etiam per nebulam & caliginem, flammas emicantes conſpexit, viditque illud quod Propheta dixit: *Pones eos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* 6. Multa ſæpe tremenda dicuntur, ſed non ita apprehenduntur, ſicut cùm videntur oculis ſubiecta. Nota eſt ſæpe aliqua hiſtoria, quæ vel lecta eſt, vel audita, ſed non ita penetrat, aut mouet, ſicut cùm in theatro ſpectatur repræſentata. Quare quidquid dicam, longè tamen aberit ab eo ſenſu, quem Virgo illa habuit, cùm locum illum profundiſſimum, à cælo remotiſſimum, obſcuriſſimum, carcerem omni calamitate plenum intueretur; quæ ſi clamores & blaſphemias non audiſſet, ſi fumum ac nebulam Stygiam non ſenſiſſet; ſi fœtorem exhalantem non percepiſſet; tamen ſolas tenebras Tartareas non potuiſſet non vehementer exhorrere. Experiuntur id illi, qui noctu, ſoli, in loco ſpiritibus infe-

Matth. 8. 12.

Pſal. 20. 10.

ſtato, ſine lumine coguntur vigilare. 7. Sed iam inſuper Virgini illi dux illius quamdam mirabilem dæmonum aliorumq; damnatorum ſocietatem demonſtrauit. Vt enim Beati maximo gaudio perfunduntur, dum ſuos in cælo amicos, fratres, parentes, dum tot ſanctos & homines & angelos, & ipſum Chriſtum aſpiciunt; ita tunc illa vidit mœſtiſſimum contubernium damnatorum ſe mutuò execrantium, atque deteſtantium, præſertim eorum monſtrorum, quæ ſupra atque intra ingentem fornacem, tamquam ſulphureum quoddam ſtagnum ſe ſe mutuò, & homines damnatos cruciabant. Si-
Eccli. 39. 33. quidem *ſunt ſpiritus, qui in vindictam creati ſunt*; &, Chriſto teſte, ignis ille *paratus eſt*
Matth. 25. 41. *diabolo & Angelis eius*: inter quos vtique horribilius eſt verſari, quàm inter bufones, ſerpentes, viperas, & dracones. Quamuis neque iſtorum formæ deerunt, in ſtagno illo, & thermis vtique calidioribus, quàm thermæ dicantur fuiſſe Neronianæ.

IX. DAMNATAE MATRIS POENAE FILIAE OSTENSAE.

Hæc omnia, atque alia talia conſpexit in inferno Virgo illa, ſed præ omnibus illi terribiliſſimum fuit, ob quod videndum eò perducta erat, mater ſcilicet illa, quæ in tantis delicijs ebrietatum, fornicationum, adul-

adulteriorum vixit, & quaſi cælo applaudente ſepulta eſt; atque ea propter filiam exemplo ſuo propemodum iam impulerat ad mores ſuos ſequendos. Vbi enim propiùs ad fornacem adducta eſt; flamma cœpit clariùs relucere. Conſpexit itaque inter formidandas belluas, & monſtra horrifica matrem ſuam, in medio picis, ſulphuris, & ebullientis lacus igne, non tantùm ardentem, & inſtar diuitis illius *ſepultam in inferno*, atq; collo tenus demerſam, ita vt nullum ei poſſet extrinſecus accedere refrigerium; ſed etiam ipſam in ſe ardentem, flammis ex ore, oculis, auribus, omnibus poris vndique emicantibus. Nec enim ſolùm ignis foris applicatur corporibus damnatorum, vt ſuo contactu cruciet; ſed ipſa etiam corpora ardent, ſicut intus & foris ferrum ignitum, aut totæ ardentes prunæ; ita enim Iſaias indicat: *Nutrimenta eius* (Topheth) *ignis, & ligna multa: flatus Domini ſicut torrens ſulphuris, ſuccendens eam.* Ligna enim illa ſunt corpora damnatorum, ligna arida, & infructifera exſcindenda, & in ignem mittenda, vt prunarũ inſtar ardeant. O qualis tunc erat aſpectus matris illius! quæ oris eiulantis diſtorſio? quanta

Luc. 16. 22.

Iſa. 30. 33.

Matth. 3. 10. & 7. 19.

toruitas oculorum? quæ totius vultus perturbatio? quæ ſummorum cruciatuum indicia? quis ſtridor, quæ comploſio manuum & dentium? quantus fœtor vermium Acheronticorum? Tunc videns mater filiam, haud ſecus ac olim diues ille petijt, vt Lazarus linguam ſuam digito extremo in aquam intincto refrigeraret, inſanis clamoribus filiã inclamauit inquiens: *Heu me, filia, de proprijs operibus hæc patior, quia quaſi deliramenta mihi videbantur vniuerſa, quæ de ſobrietate erant: opera autem fornicationis, & adulterij non mihi credebam eſſe tormenta: ebrietatem verò & luxuriam non arbitrabar eſſe pœnas: & ecce propter paruam libidinem, quantam recipio gehennam, & ſuſtineo pœnas: ecce propter exiguas delicias quanta exſoluo tormenta: ecce pro contemptu Dei, quales recipio mercedes: apprehenderunt enim me vniuerſa immobilia mala.* Sunt enim omnia immobilia, neque tolli poſſunt, quia æterna. Pœna damni, ſeu priuatio æternæ gloriæ, & omnium bonorum, quibus Beati fruentur, æterna erit. O qualis cogitatio, videre ſe ad ſumma illa bona à Deo conditam, & omnem mundi gubernationem à Deo ad meam aliorumque ſalutem directam; me autem

Matth. 16, 24.

autem ſponte, ob tam friuola bona, illa neglexiſſe, contempſiſſe. Amiſi cælum, qualem regiam? Amiſi beatorum ſocietatem, & jus ſupernæ ciuitatis. Exulabo æternùm. Amiſi claram totius naturæ conditæ cognitionem, cum ea cognitione Numinis, quæ neceſſario ex illa reſultat. Cuius loco intellectus ſummè odio Dei & dolore perturbatus, nihil jucundi poteſt cogitare. Amiſi omnem ſpem luminis gloriæ, viſionis, amoris, & gaudij beatifici. O damnum omnium damnorum maximum! eſt enim infinitum, quia infiniti boni amiſsio. Cuius loco, non iam ego vel de bonis Dei, aut meæ beatitudinis, aut gloria corporis delector, ſed perpetim crucior, de his omnibus amiſſis, & omnibus in contrarium euenientibus. Hæc ſemper mihi verſantur ante oculos, nec mentem ab ijs poſſum auertere, vnde exiſtit in me incomprehenſibilis triſtitia, conſcientia me accuſante & condemnante, quòd mea culpa gloriam illam, quam facilè potuiſſem obtinere, amiſerim; & æterna ſupplicia promeruerim. Hæ cogitationes, hi acerbiſſimi mœrores vermes ſunt, quorum morſus eſt præcipuum meum tormentum; ideoque tormento ignis præ-

Iſa. 66.24 ponuntur; cùm dicitur: *Quorum vermis*
Marc. 9. *non moritur, & ignis non extinguitur.* Crede
44. mihi, filia, cùm ignis me inexplicabili modo extremè affligat, plus tamen cruciat apprehenſio æternitatis tanti boni meâ culpâ amiſſi, & tanti ſupplicij illati, quàm ipſe ignis. Hinc deſperatio, ex deſperatione furor & odium Dei, ex odio maledicta & blaſphemiæ. Ex ſententia enim Iudicis, qui me *in ignem æternum* miſit, ſcio, pœnas meas numquam deſituras. Si fumum, ſi caliginem, ſi ignem, ſi ardores, ſi fœtores, ſi famē, ſi ſitim, ſi carcerem iſtum, ſi hanc ſocietatem, ſi dæmones inſultantes & verberantes, tot annorum millibus tolerauero, quot guttæ in mari, arenæ in littoribus, & atomi in toto mundo ſunt, nullus erit iſtorum tormentorum finis. Si tot mundos vacuos conderet Deus, eosq; centies hoc noſtro maiores & capaciores, quot à prima creatione fuêre in arboribus folia, in campis & terris omnibus gramina, immo puncta in cælo, etſi interuallo mille millium ſæculorum tantùm vnicam funderem lachrymulam, tamen priùs omnes illos innumerabiles mundos lachrymis implerem, & rurſus omnes euacuarem, quàm tormenta mea finirentur,

rentur. Immo ſi vel hac quaſi infinita duratione peracta, ſaltem tunc ab his tantis malis liberarer, omnia tolerabilia forent; ſed prô dolor ſtatus meus eſt ſtatus æternus, finis expers, & tam diu perennaturus, quàm diu Deus, & Dei iuſtitia eſt perennatura; ſemper omnia reuoluentur, ſemper denuo erit inchoandũ: *In æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ*, monuit ille, ſed non credidi. Nunc ſcio; quia experior. O mare, ô abyſſus ærumnarum! ô æternitas! ô æterna æternitas! Hæc ſunt mea *immobilia mala.* Iuua enim me, filia, ſi potes: *Miſerere mei, quæ ardeo igni, & ab ipſo conſumor: miſerere mei, quæ in huiuſmodi cruciatibus exanimor.* Cum autem filia, ob aſtantes, immo ob ipſam æternitatis neceſſitatem ac legem, id facere non poſſet, vehementer commota ingemuit, & altiſſima voce exclamauit. Ad quem clamorem, qui in eadem domo erant, excitati, igneq; accenſo, accurrentes, omnia ordine, narrata audierunt, & contremuerunt. Pſal. 118. 160.

X. INFERNVM QVI CREDIT, AVT NON CREDIT.

Hinc Virgo conſtituit, patris, non matris poſthac veſtigia ſequi, *cognoſcens, multam eſſe bonorum retributionem operum, & malorum actuum turpis vitæ maximas eſſe pœnas.*

DIT, QVID FACIAT? *nas*. Hinc probauit patris ſui, in tot morbis & malis, patientiam. Hinc ipſa agnouit, illi profuiſſe, tot & tam diuturnos morbos: ac ne ipſa, in hac vita, delicijs æterna gaudia amitteret, æterna tormenta mereretur, ſeceſsit in eremum. Hinc tot ieiunijs, cilicijs, flagellis, vigilijs, ſe caſtigauit. Hinc eius & exemplo, & narratione, tam multi conuerſi, timuerunt, ne felicitate temporali fruentes ſuam mercedem cum diuite epulone hîc reciperent: & gauiſi ſunt, ſi in varias tentationes ac tribulationes inciderent: cùm & Iacobus dicat: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* E duobus malis minus eſt eligendum. Si luendum eſt, præſtat hîc luere, quàm ibi; tempore paruo, quàm in æternitate. Hinc homines fiunt patientes; hinc libenter in confeſſione ſe ſe demittunt; hinc corpus domant; hinc voluptatibus etiam licitis abſtinent; hinc in varias religiones, in cœnobia, in Carthuſias, in eremos ſe abdunt. Nihil illis difficile eſt, qui volunt illa terribilia, immenſaque euitare; immò qui ſeriò credunt, vti in hac vita miſericordiam, ita in altera iuſtitiam Dei eſſe infinitam, à qua in inferno, quiſquis in mortali

Iac. I. 2.

tali

tali peccato moritur, æternùm ſit puniendus. *Quòd ſi quis exiſtimet, ſicut ego quidem noui multos putare,* ait S. Chryſoſtomus, *terroris cauſſa, etiam in paruis exaggerari minas præceptis, ſupereſt, vt adulteros, maſculorum concubitores, molles, & idololatras memorato illo ſupplicio eximant. Quòd ſi terroris tantùm cauſſa & non pro veritate ſupplicia promittuntur; conſequens erit etiam, vt bonorum pollicitationes adhortandi tantummodo, & non veritatis gratia promittantur. Et ſi ita de vtraque parte ſentiamus, reſoluta ſunt omnia religionis noſtræ dogmata, ſi nihil aliud in omnibus mandatis ac præceptis diuinitus datis agi dicitur, niſi vt aut bonorum vana ſpes homines, aut pœnæ terror inanis aſtringat.* Et paulò pòſt. *Illa diabolica deceptio eſt, quæ hac ad terrorem dicit hominibus ſcripta, vt reſoluat diuini judicij metum, & remiſsiores nos erga obedientiam reddat, & cuſtodiam mandatorum Dei. Ob hoc enim tales diabolus ſuggerit ſenſus, & intelligentias huiuſmodi ignauas animas docet, vt præſentis interim temporis reſoluat vigorem, arguendas ſine dubio in die judicij, vbi jam pœnitentia nihil proderit. Quid enim vtilitatis erit huic, qui nunc ſeducitur, ſi tunc intellexerit errorem ſuum, cùm pœnitendi jam non erit tempus?*

S. Chryſ. lib 1. de contrit. cap. 2.

*Non*

*Non ergo inaniter decipiamus noſmetipſos, neque circumſcribamur in perniciem noſtri, neq; aliam nobis pœnam incredulitatis crimine conquiramus. Non enim ſolùm ſi inobedientes ſimus mandatis Chriſti, ſed & ſi increduli exiſtamus, ſupplicia nos manebunt. Non credere autem ex eo accidit, cùm viribus deficimur ad explenda mandata: dum enim commoda, quæ nobis ex obedientia proueniunt, nobis comparare volumus, neque ea facere, quæ præcepta ſunt, vt animum futurorum metu liberemus, conſcientiæ pondere grauati & præfocati parati ſupplicij timorem abijcere omnem ſtudemus, & in aliud nos barathrum præcipites agimus, dum tormentis illis fidem abrogamus. Et quemadmodum ſæpe homines ægri, cùm multis febribus aguntur, ſi in aquas ſemetipſos frigidas iniecerint, ad præſens quidem aliquid videntur ſibi quæſiuiſſe ſolatij, multiplicatas verò corpori ſuo flammas febrium reparant: ita & nos agimus, cùm ſtimulamur conſcientia peccatorum, & in Euripum nos, vel lacus contritos praua intelligentia præcipitamus. Ex hoc enim jam neceſſariò quaſi licitè peccamus. Sic enim quaſi per licentiam feritas increſcit.*

XI. IMPVROS SECVLVM Sic matri accidit ſupradictæ, ſic accidit pleriſque peccatoribus. Quod non credunt, non

non timent. Ait Apoſtolus: *Nolite ſeduci, quoniam neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque maledici, neq; rapaces regnum Dei poßidebunt.* Hæc ſi crederent, non eſſent tot, qui noctes & dies impura cogitarent, dicerent, facerent, & omnibus membris Veneri litarent: qui filiabus, qui ancillis, qui ipſis matronis inſidiantur; qui nullam ſinunt tranſire, quam non etiam in ipſis plateis vel manibus, vel fornicantibus oculis inuadant. Nec verentur, ſe videri à pueris, quos, vt mater illa filiam, ſcandalizant, & talia docent antè, quàm ſciant orare. Immò eos jubent, & laudant ſi faciunt, quæ dicere eſt pudor. Sed illi nec dicere, nec facere erubeſcunt. Hinc fraterculus auditus eſt dicere ad paruam ſororem: *Veni faciamus, ſicut parentes noſtri.* O pudor! ô inferne, vbi es? Porrò quid non tentant, vt infernum mereantur? Neque enim tantùm obſeruant dominos, parentes vel maritos, quacumque ex cauſſa, aut officio abſentes; ſed ipſa templa adeunt, non vt Deum, ſed vt quod turpiter amant, adorent. In templo faciunt abominationes infandas. Quid

HABERE IN HOC EXEMPLO. 1. Cor. 5. 9. 1. Tim. 1. 10.

ſi nonnulli vix è templo, & à communione egreſſi, per iocum & iactationem audent dicere, Chriſtum hodie & diabolum certauiſſe, nec ſe in ipſa ſacra ſynaxi à pulcherrima puella, juxtà ad SS. Euchariſtam accedente, oculos continere potuiſſe? Nonnè hoc eſt oculis, nonnè lingua fornicari? quin & auribus, nam talia dicunt, vt talia viciſſim audiant. Quin & odores, & calidos cibos eumdem in finem adhibent, vt de reliquis nihil dicam, quando inter duas ſorores, inter matrem & filiam, hominem & canem, diſcrimen non habetur. An non his talibus meritò Deus, judex iuſtus, tenebras, fumum, fœtorem ſtridorem dentium, carcerem, picem, ignem, cruciatus æternos decreuit? Et tamen adhuc peccant, adhuc iſta non curant, quid facerent, ſi Deus pœnas leuiores ſtatuiſſet? ſi, ſicut ciuiles magiſtratus ſolent, prò adulterio ad gladium, pro furto ad laqueum, pro latrocinio ad rotam, pro veneficio ad flammam, & mortem vnius dimidiæ, aut integræ horæ dumtaxat, aut vnius anni damnare voluiſſet? Nonné dixiſſent, pro vna mala hora, aut anno, poſſum multos dies, & annos bonos habere. At non ſic voluit Deus, æterna

ſup-

ſupplicia decreuit: quæ ſi non deterrent peccatores, nihil eos deterret: deſperati ſunt. I, ô miſerrime peccator, & qui hæc tormenta vno colloquio, aut cogitatione obſcœna, vno aſpectu, & vno oſculo, vno tactu, aut amplexu jam dudum meruiſti; perge aliud nihil niſi Veneres cogitare, loqui, & mille actibus immo artibus, exercere; jam quidem in voluptate es, ſed qui tam delicatus es, vt ne minimum nunc poſſis pati moleſtiæ, expecta quantum æternorum tibi ſuppliciorum ſis theſaurizaturus. Oculi tui non ſpecioſas puellas, ſed deformiſſima & horrendiſſima monſtra Acherontis ſpectabunt; fumum, lachrymas, & tenebras patientur. Loco aromatum fœtores ſulfuris & damnatorum olfacies. Loco cantilenarum & turpium ſermonum æterna conuicia, & lamenta audies. Pro dulci vino amaræ tibi erunt lachrymæ. Tactus tuus, quid poſſit ignis, experietur. Vnius noctis, vnius horæ, vnius momenti voluptas æternis flammis caſtigabitur. Nondum tamen ibi ſumus, Auditores, eſſemus ibi, ſi in tali ſtatu nos mors deprehendiſſet. Mirum eſt, eos maximè, qui minimum poſſunt pati, tantis ſe malis obnoxios facere. Mirum,

Deum, quod jam toties meruiſſemus, huc vſque diſtuliſſe. Sed hæc infinita eſt illius bonitas, pœnitentiam noſtram expectantis, quam multis alijs, nobis longè melioribus, denegauit. O quàm pœnitentiam faceret mater illa, aut alius damnatorum, ſi ex inferno dimiſſus pœnitentiam facere permitteretur! Nos adhuc poſſumus, illis negatur. O quàm ſaxeus, quàm incredulus eſt, qui dum poteſt, hæc tormenta non euadit! & dignus eſt inferno, quia ſua culpa perit, quiſquis illum credit, & non fugit.

## CAPVT IV.

### MARCI GVTERRII MILITIS INCOMPARABILIS EXEMPLO, NOS DOCERI, QVO MODO, IN MILITIA SPIRITVALI, ANIMA CONTRA PECCATVM SIT DEFENDENDA.

I. MILITES NON OMNES ESSE IMPIOS.

MVLTI de militibus malè loquuntur, eorumq; licentiam, rapinas, impietatem accuſant, inter quos Poeta ait:

Lucan. l. 10. bell. ciu.

*Nulla fides pietasq; viris, qui caſtra ſequuntur,*
*Venalesq; manus; ibi fas, vbi maxima merces:*

quod

quod etſi verum ſit apud plurimos, haud pauci tamen etiam ſunt, qui fideles, pij, juſti & fortes, meritò in exemplum militiæ ſpiritualis proponi poſſunt. Qualis enim miles fuit S. Michael Archangelus? Abraham, Moyſes, Ioſue, Gedeon, Dauid, Cornelius, Georgius, Sebaſtianus, Gallicanus, Mauritius, Gereon, Achatius, & omnes illi, quorum Litaniæ nuper, ſeu ſyllabus totus in lucem prodijt. Quoniam igitur *militia eſt vita hominis ſuper terram, & nos in carne ambulantes, non ſecundùm carnem militamus,* proponam militis virtutem bellicam, nobis meritò, in militia ſpirituali, imitandam.

Iob. 7. 1.
2. Cor. 10. 3.

Author, ex quo hiſtoriam ſum promptus, à me aliàs laudatus, eſt Rodericus Santius p. 3. Hiſt. Hiſp. c. 37. Eo capite narrat, An. 1200. *Ferdinando Legionis XXXIII. regi* in regno ſucceſſiſſe filium *Alfonſum IX.* *qui viuo patre*, ab *Vrracâ* nouercâ ſuâ, primarij cuiuſdam viri *Didaci de Haro, domini de Viſcaia*, ſorore, varia vereq́; nouercalia mala expertus, nihil mutire auſus eſt, quamuis non leuiter offenſus. Timebat enim patrem pro nouerca ſtantem. Itaquè re tota diſſimulata, tacuit, & matrem cærimonijs

II.
AVTHOR, ET ODII CAVSSA.
Recenſet eandē hiſtoriam Michael Piccartus decad. 1. obſeruat. Hiſtorico Politicarum. c. 1.

aulicis publicè ac priuatim, quantum potuit, deliniuit. Facilius eſt linguam compeſcere, quàm mentē ſopire, & iniuriæ obliuiſci. Quare licet verbis non quereretur Alfonſus, tamen vindictam alta mente repoſtam tam diu ſecum coxit, donec, patre defuncto, in regni ſuccederet hæreditatem. Simplex fuit Vrraca, quæ exiſtimauit Alfonſum non obſeruaſſe, aut oblitteraſſe ea, quæ viuo patre in illū vel acerbè dixerat, vel fecerat iniquè. At Alfonſus, defuncto patre, ad omnes illius actiones, praxes, & conſilia, quàm diligentiſſimè attendebat, videbatq; *Vrracam* adhuc nouercam agere, & cum fratre ſuo *Didaco de Haro* multa perniciosa conſilia agitare, neque regno, neq; regi ſatis fidam eſſe. Erumpente igitur tandem in apertum odij incendio, vindictæ tempus eſſe arbitratus, *Vrracam*, vnà cum fratre eius *Didaco de Haro, domino de Viſcaia* è regno expulit. Hæ ſunt vices imperantium, vt rota vertuntur, & qui iam in ſummo eſt, poſt annum erit in imo; vt viciſſim pedibus conculcetur, qui antè alios pedibus calcauit; iuxta illud: *Pone principes eorum, ſicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana; omnes principes eorum, qui dixerunt;*
Pſal. 82. 12.

*Here-*

*Hereditate poſſideamus Sanctuarium Dei: Deus meus, pone illos vt rotam: & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Nam qui hodie in aulis ſunt potentes, & ſummi, & exaltantur, *vt cedrus Libani* repentè, vt radij in rota, vertuntur, & fiunt imi, *& tranſiui, & ecce non erat.* Quod videre fuit olim in Aman, in Achitophel, in Belliſario, in Seiano, in innumeris, qui fortunæ ſpectaculum fuêre. Vt proinde ad finem iſtorum potiùs, quàm ad exaltationem ſit reſpiciendum, ſed in hiſtoria pergamus.

Ceſſit *Didacus de Haro*, cum ſorore ſua *Vrraca*, & in Africam iuit, inter nigros homines infelix exulaturus. Non tamen ita ceſſit, vt non haberet animum redeundi, vel placato, vel ſublato è viuis *Alfonſo*. Quare cùm caſtrum quoddam *de Guiar* dictum haberet, famâ clariſſimum, à ſitu loci, & munitione, quodammodo inſuperabile, illud diſcedens nobili cuidam Hiſpano *Marco Guterrio*, (alij illum *Guttherrium* nominant) in fidem tradidit, & etiam atque etiam commendauit. Ita ille in exiliũ profectus, regi crucem fixit. Experti ſumus, his annis, quantum damnum toti prouinciæ afferat, etiam vnicum eiuſmodi caſtrũ. III. ARX INIMICI QVAM INVISA.

Luculentè id demonſtrauit *Hochenvvila*, vnde eruptiones factæ non ſolùm itinera infeſtarunt, ſed etiam omnes circumiacentes pagos & oppida, & arces tributarias fecerunt. Talis arx erat *Guiar*, regi in oculo ſpina, immo lancea. Delicata res eſt oculus, ne minimum quidem ferre poteſt puluiſculum, quid non ſentiet, ſi ſpina, immo lancea pungatur? Non poterat *Alfonſus* pati, vt Didacus in regno ſuo nomen, ne dum arcem haberet, in quam tot prædæ conuehebantur. Itaque ſicut, qui reliquo toto corpore eſt ſanus, ſi vnicum adhuc vlcus ſentit, quieſcere non poteſt, donec rumpatur: ita neque rex potuit eſſe tranquillus, donec ea arce potiretur. Pro ea occupanda, omnem aleam cenſuit tentandam, lapidem omnem mouendum.

IV. Marci Guterrii fidelitas tentata.

Iam attendite diligenter, & diſcite omnes, quid vos, hoc tam turbulento tempore, vel facere, vel fugere par ſit. Omnem *Alfonſus* mouit lapidem, vt arce potiretur, conſilijs itaque varijs vſus eſt. In primis miſit legatos ad *Marcum Guterrium*, qui arcem peterent ſibi nomine regis tradi, ad quem titulo iuſtitiæ pertineret, tamquam bonum exulis, fiſco addictum regio. Ibi tum

tum patuit, quàm etiam belli ducibus ſit neceſſarium, vt docti ſint, vel doctos ſecum habeant. Sæpe enim incidunt caſus, in quibus non ſecundùm animi impetum, aut hoſtis prætenſionem, ſed ex lege agendum eſt. Legatis igitur, jus regis obtendentibus reſpondit *Marcus*; Meminiſſe ſe, quibus rex ab *Vrraca* nouerca affectus ſit iniurijs; quòd autem *Didacus de Haro*, herus ſuus, frater illius ſit, non videri ſibi cauſſam ſufficientem eius puniendi. *Vrracam* neque conſilio, neque præſidio vmquam Didaci vſam, in Infante regio perſequendo. Solo igitur metu ſororis ab exilio reducendæ *Didacum* fratrem eius, cum illa è regno, atque arce ſua eiectum eſſe. Quæ cauſſa ſi valeret, multos fratres, ob ſororum ſuarum delicta, innocenter perituros. Retulerunt regi reſponſum tam cordatum, qui miſſi fuerant, irrita profectione. Conſilium igitur alterum excogitauerunt, decreueruntque, auro tentandum eſſe Caſtellanum: oraculum Apollinis Pythij ad Philippum regem Macedonum fuiſſe, illum victoria potiturum, ſi pugnaret haſtis argenteis: Dictumque eſſe vetus Philippi eiuſdem regis, Nullam tam eſſe munitam arcem, quæ capi non

 poſſit,

poſſit, ſi quidem aſinus auro onuſtus in eam queat penetrare; plumbeis glandibus caſtra quati, aureis autem euerti. O aurum, quàm es proditionibus procurandis idoneum, quando etiam ſummi in bello vertices per te tentantur? Et vt à Glabro relatum eſt, quando *aureo pugillo etiam murus ferreus frangitur*. Mittuntur itaq; ijdem denuo legati, & *Marcum* ingentibus promiſſis aggrediuntur; addunt titulos, addunt honores; addunt officia ac dignitates, vnà cum pecunijs à rege largiendas. Hîc interrogo non jam fortiſſimos atque honeſtiſſimos duces, non generoſos milites, ſed delicatulos illos, & cincinnatulos, vaneque inſtar puellarum pictos, & amictos juuenes, qui non ab ordine inferiore, non ab experientia militari, ſed à gynæceo, à colu & acu, per ſaltum, promoti ſunt ad ſummos aut medioximos belli honores; qui putant bellare, eſſe otiari, ludere, potare, comeſſari, ſaltare, amare, ſcortari, venari, hoſtem declinare, amicos ſpoliare, qui non pro gloria vel Dei, vel ſua pugnant: ſed cùm fortiſſimè agunt, ſinunt, ſe à meretricibus morderi, aut in honorem earum ex earum calceis, aut matulis bibunt: hos interrogo, inquam,

Cic. lib. 1. offic. Val. Max. lib. 7. cap. 2. Glabr. lib. 4 rer. Germ. c. 5

inquam, quid illi feciſſent, in tali occaſione? Cùm S. Hieronymus ſcribat: *De cubiculo ad aciem, de vmbra egrediens ad ſolem: corpus aſſuetum tunicæ, loricæ onus non ſuſtinet: caput opertum linteo, galeam recuſat: mollem otio manum durus exaſperat capulus: fortior autem miles ex confragoſo venit.* Quin & Vegetij teſtimonio, *inutilis eſt omnino militia nutritus tenerè, & delicijs aſſuetus.* Et Petrus Bleſ. *Hi ſunt*, ait, *quorum teſtimonio laudari audis, in otio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias, cùm ſint in prætorijs leones, in prœlijs lepores.* Hi ergo tales, abſente domino, præſente auro, quid facturi fuiſſent? An non reſpondiſſent; Herus meus abeſt, verſatur in exilio; numquam eſt rediturus; numquam hanc arcem ſuam poſſeſſurus; immo neq; viſurus. Quid faciam? an regem differam? an legatos re infecta remittam? an meos ſubditos caſtellanos periculo obijciam? Scio, Dominus, ſi ipſe adeſſet, arcem traderet. Itaque date mihi aurum, & accipite caſtrum. Hoc dixiſſet aliquis proditor, non ductor. Sed longè aliter reſpondit *Marcus Guterrius.* Quid ad me, cum tali legatione, veniſtis? quem me eſſe putatis? an Iudæ imitatorem

S. Hieron. in ep. ad Theodor. monach.

Pet. Bleſ. ep. 49.

qui dominum ſuum pro mercede prodat? Apagite cum veſtro auro: vos tales honores ac dignitates ſuſcipite, quæ per ſcelus acquiſitæ dedecus ſunt, non decus. Ego fidem ſemel datam pluris facio, quàm omnes regis Hiſpaniæ opes. Plus vendit, quàm arcem, qui domino ſuo eſt infidelis. Nam vnà cum fide cælum amittit, & in omni poteſtate, nomen conſeruat proditoris. His auditis legati, arma, exercitum, obſidionem, excidium, mortem minitantes, & extrema mala, diſceſſerunt: quibus ille valedicens adiecit: Dicite regi veſtro, me *Didaco* dexteram dediſſe, vt eam ferro conſecrarem. Pulchriùs ornatur gladio, quàm auro dextera militis bello conſecrata. Miles ſacramento religatus, non capitur auro, niſi contra naturæ, & Dei legem, omnia humana ac diuina iura contemnat; finem ſuum vltimum, Conditorem, & Conditoris beneficia, immo & Redemptionem ſuam, Iudicem Deum, nihili faciat. Cùm igitur ego vel Didaco datam fidem nolim fallere, etiamſi mille mihi mortes forent patiendæ; Numinis amicitiam pro auro, immo pro toto mundo contemnã, & iram perfidus promerebor? Cum hoc reſponſo legatos dimiſit frementes.

In-

Intellecta mente *Marci* rex vi cenſuit agendum, conflatoq; exercitu ipſe caſtrum obſedit. Puto nos expertos, quid ſit vel timere obſidionem. 1: Quanta eſt rerum hominumque perturbatio? Quanta fuga? 3. In ipſa autem obſidione, quantus, inter imbelles, timor, quàm varij rumores & opiniones? 4. Nemo audet extra portas pedem longiùs efferre: nemo ſecurè proſpicere, neſciens vnde globus aduolet, caputq; feriat. 5. Iam quanta cura, hoſte mœnia quatiente, & muros conſcendente? 6. Sæpe ipſo periculo maior eſt timor periculi. 7. Iam intus, quæ non neceſſitas? quæ penuria aquæ, panis, lignorum & aliarum rerum? 8. Quanta miſeria morborum magis, quàm hoſtium graſſantium? 9. Quanta fames, quanta lamenta feminarum? 10. Et hoc quidem, ſi vel ad duas, treſúe hebdomadas locus quiſpiam obſideatur. Quid putatis fuiſſe calamitatis in caſtro *Guiar*, quod non ad tres hebdomadas, vel menſes, vel etiam annos, ſed ſeptem integris annis arctiſſimam ſuſtinuit obſidionem? ita vt ne canis quidem egredi inde poſſet, nihil autem introferri. 11. Ibi ergo, cum victualia deeſſent, non ſolùm milites ſagittis, baliſtis,

V. ARCIS OBSIDIO.

ſtis, aliisq; vulneribus, ſed etiam fame e-necti defecerunt. Defecerunt & alij homines, vnus poſt alterum. 12. *Hîc nobilis ille Marcus imitatus eſt claros viros Caſilinates, qui cùm Hannibalis obſidionem paterentur, alimentorum facultate defecti, lora, coriaq; neceſſarÿs vſibus ſubducta, atq; à ſcutis detractas pelles feruenti aqua reſolutas ederunt, & tali cibo uti ſuſtinuerunt, ne fidei conſtantiam Romanis præſtitam violarent.* 13. *Nec aliter quidem Cretenſium nobilis animus egit, qui in arce obſeſſus ad vltimam penuriam compulſus fuit, ac iumentorum vrina ſitim correxit; quia dum vinci timuit, id paſſus eſt, quod victor eos pati cogere non potuiſſet, vt ait Iulius Frontinus.* 14. Itaque tandem exhauſta præſidijs arce, ſolus *Marcus Guterrius* vltimuſque ſuperfuit. Quis hunc militem non laudaret? quis non officio, & ſacramento ſatisfeciſſe judicaret? I, *Marce*, generosè te geſſiſti. Nemo poterit te imbelliæ, aut timoris arguere. Ipſe *Didacus* non potuit tantum à te expectare. Dudum ipſe arcem tradidiſſet. Serua nunc te, plus ſeruabis, quàm ſi decem arces ſeruares.

VI. Marci incredi- Puſillanimes facilè acceptaſſent hanc excuſationem, vti omnes proni ſumus ad cauſſas

cauſſas excuſationis, in noſtris rebus, reperiendas. At longè aliter Marcus, qui ſolus ſuperſtes ſedulus per arcem vndique diſcurrit, & quaſi multi in ea ſupereſſent, nunc per hanc, nunc per illam feneſtram eiaculatus hoſtem terruit. Solus excubitor, ſolus circitor; ſolus dux & miles. Nemo enim cum eo fuit, niſi Deus, & Angelus, & animi inuicta fortitudo. Et tamen interea *erant ei cibi animalium coria, herba demum, ac mures, & cuiuſuis generis beſtia, quam occupare poterat* Videte quàm in pretio magno habendi ſint fidi duces & milites, qui etſi ſubinde lætam felicemque horam ſortiantur; etſi ſubinde opima præda potiantur; tamen longè ſæpius aſperos dies & caſus experiuntur. Quid igitur tum *Marcus* fecit? His quoque ipſis abominandis cibis conſumptis, arcem hoſti non patefecit, ſed admirando conſilio, *ſuſpenſis ad collum arcis clauibus, inedia fameq; conſumptus ad portam interiorem turris, in medio cardinis fere exanimis proſtratus decubuit.* Quid facis, ô miles? arcem & vitam perdes, trade arcem, ſerua vitam. Sat diu duraſti. Nemo te poterit ignauiæ accuſare. Dudum poteras præſidium dedere, Excuſabit te diuturnitas obſidionis;

BILIS FIDES, ET CONSTANTIA.

ſidionis; militum omnium mors, defectus ciborum; denique, quia ſolus es, etiam cum honore caſtrum reſignabis. Nihil horum mouit Marcum; pugnauit viuus, pugnare vult & mortuus, & quantum datur, vult obſiſtere hoſti ingreſſum tentaturo. Clauibus, velut aureo torque, è collo ſuſpenſis iacet ante portam. *Sic manſit integra die. Effecit igitur Marcus ſpiritu & viribus deficiens, quod incolumis patrare ſolitus erat. Vnde moriens ſe in media porta intrantibus obicem oppoſuit, vt nemo niſi ſupra eum intraret, cùm nullus dum viueret contra eum ingredi potuerit.* Sic pugnant, qui pro honore pugnant. Hæc generoſarum mentium eſt fortitudo. Hæc fortium virorum fidelitas.

VII. ARX A NOBIS SERVANDA EST ANIMA NOSTRA. Luc. 11. 21.

Dedit Deus vnicuique animam ſuam cuſtodiendam; quam diabolus obſidet, & varijs artibus allicit, oppugnat, arietat. De hac enim locutus eſt Dominus, quando dixit: *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſsidet. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.* O quàm nos à *Guterrio* multùm diſtamus; ille non ſuam, ſed *Didaci de Haro* arcem tam conſtanter, vſque ad

mor-

mortem defendit; hîc agitur de noſtra arce, de noſtra anima, de noſtra ſalute; & quàm ſocordes ſumus! Multi vix vmquam tentationi reſiſtunt, & dum diabolo in omnibus conſentiunt, non putant, ſe ab eo tentari, aut oppugnari: aut ſi ſentiunt, quàm multi terrentur, metu laborum? falluntur falſis prætextibus; ah vno ſæpe aureo animam ſuam vendunt? Multi fame vincuntur, vt nullo obſeruato Eccleſiæ ieiunio, nulla temperantia, nulla abſtinentia carnium, animam ſuam ſeruent? Quàm multi claues hoſti tradunt, vt per omnium ſenſuum portas in animam eorum intret? Non ſic Sancti: pro aris & focis certarunt, ſciuerunt *regnum cælorum vim pati.* Ideò *fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt.* Nimirum ſæpe conſiderarunt, quantum ſibi, quantum Deo perderent, & quantum Chriſto arcis à ſe redemptæ Domino obſtricti eſſent. Hinc clamauerunt: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* O nos arundines, quæ quouis vento, quauis anguſtia, quauis tentatione &

Matth. 11. 12.
Hebr 11. 34.
Rom. 8. 35.

tribulatione agitantur, & franguntur! Columnæ, petræ ſimiles eſſe debemus, quæ nullis fluctibus cedunt: & arundini ſimiles ſumus, à quouis vento agitandæ, à quouis ſocio nos ſinimus abduci à recto. Petrum non pœnitentem & flentem, ſed ancillæ cedentem imitamur. Hoc eſt arcem tradere, non ſeruare.

VIII. CAPITVR ARX ET C. TERRIVS. Sed ad *Marcum Guterrium* noſtrum redeamus, & videamus, quid in caſtro ſuo faciat, vel patiatur. Toto jam die acclinis portæ & ſemianimis ſederat. Cùm rex ſolitum impetum in arcem faciens, miratus eſt, neminem eſſe reſiſtentem. Iuſſit ergo ſcalas ad murum admoueri. Certatim ruitur, & quiſque vult primus eſſe in muro. Nemine repugnante facile fuit aſcendere. *Aſcendentes nobilem virum ſemiuiuum reperiunt, caſtrum, non ſe cuſtodientem.* Ita cum vires jam defecerant, vt ſine motu, ac prope etiam ſine ſenſu jaceret. *Arbitrantes igitur, qui aſcenderunt, Caſtellanum mortuum, ad regis præſentiam ſupra humeros detulerunt. Lachrymatus eſt igitur rex ob viri illius ingentem virtutem, curamq; de eo geßit, remedijsq; adhibitis paululum conualuit.* Amat ipſe hoſtis in hoſte virtutem. *Cùm itaq; rex ob eius*

*egregia geſta ac pertinaciſſimam fidem plurima obtuliſſet, Abſit*, inquit Marcus, *vt à te, ô rex, aliquid capiam, qui gloriam, qui honorem arripuiſti meum. Erat mihi ſempiterna gloria in arce mori, quam tu, vt viuerem, abſtuliſti. Ibo, ſi permittis, ad dominum meum libens, vt vitam adimat, quam tu inuito donaſti. Sed quid agam? fidem ei præſtiti, quam non niſi morte perſoluere poteram. Perpetuas igitur contra te, ô rex, agam querelas, qui, ne fidem perſoluerem, impediſti.* Videbantur hæc contra regem dicta, ſed regi placuerunt optanti, multos ſibi ſimiles eſſe duces, qui auderent coram ſe loqui veritatem, ac tantam mundo exhiberent fidelitatem. Placet enim, & laudatur etiam in hoſte virtus.

IX. QVAM ACERBE SENTIANT MILITES, SI INGRATOS LABORIBVS AC PERICVLIS SVIS DOMINOS EXPERIANTVR.

Itaque viribus ſuis ex integro reſtitutus, non tantùm libertate donatus à rege *Marcus*, ſed etiam cum magna beneuolentia atque honore dimiſſus eſt. Qui non domũ, ad vxorem, aut liberos, ſed recto itinere inde ad dominum ſuum in Africa exulantem profectus, magnam præ ſe tulit, ob amiſſam arcem, animi triſtitiam. Sed *Didacus* jam rerum omnium, aliorum relatione, gnarus eum benignè accepit, & longè plura certioraque ab eo de tota rei ſerie

intellexit. Ob quæ meritò amandus, æſtimandus, & maximis honoribus cumulandus erat. Ite, mortales, ſeruite Mundo, currite, laborate; famem, ſitim, frigus, æſtum, & mille pericula, pro ſæcularibus dominis ſuſtinete; ſanguinem ipſum, vitam ipſam, pro illis exponite (& vtinam non etiam ſæpiſſime animæ veſtræ æternam ſalutem exponeretis!) experiemini, quam mercedem ſitis laturi. Neq; enim ſatis agnoſcunt iſti, neque grati ſemper eſſe didicerunt. Quod ſapienter & liberè agnouit princeps, qui

Pſal. 145. 3. dicit: *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum in quibus non eſt ſalus*: itemque alio

Pſal. 117. 8. loco: *Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine. Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in Principibus.* Cuius rei luculentum eſt in *Marco Guterrio* exemplum. Videbantur omnia ſalua, & *Marcus* ſua fide *Didacum* contentum arbitratus, ipſe quoque triſtitiam poſuit, cùm intra paucos dies accidit, vt, vice quadam, celebri (in ſolenni multorum nobilium conuentu, conuiuioque) lætitia feruente, ſermo incideret, de bonorum malorumque militum moribus; quorum illi luſibus, poculis, ſcortis, otio vacent; in ipſius diaboli

ſanitatem potirent; in diaboli nomine edant, bibant, omnia faciant; familiæ, nominis, famæ, omnis honeſtatis, ipſius Dei obliti; quando ad pugnam venitur, hoſtem declinare, præſentem non aggredi, dimicantem fugere, & amicos potiùs, quàm aduerſarios ſpoliare nôrint: iſti autem, ſicut boni venatici canes prædam, ita velitationes & prœlia ſitiant; neque jam vxores ipſas, neq; delicias curent, quas more Vriæ, neque ſecum habeant in caſtris, neque domi adeant, cùm foris eſt militandum. Inter eiuſcemodi ſermones, fuit, qui præſente Marco, diceret, *Marcum* eſſe talem boni militis ideam, ſimulque eius fidem & conſtantiam ad aſtra vſque tolleret. Aſſensêre omnes, vnus Didacus, amiſſi caſtri deſiderio mœſtus aiebat: *Veriſſimum atq; fideliſſimum Guterrium extitiſſe Caſtellanum, nemo ambigit, verumtamen caſtrum libenter reciperem meum, Marco fiducialiter commiſſum.* Generoſi magis ſentiunt verba, quàm vulnera. Quamquã & vulnus ingens eſt, incidiſſe in hominem ingratum. Quia, vt Tullius ait, *omnes immemores beneficij oderunt.* ac alibi: *Nihil eſt tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, vt beneficio non in-* Cic. l. 2. de offic & in orat. pro Planc.

*dignus, ſed victus eſſe videare.* Quid enim eſt eo miſerius, cui beneficia excidunt, hærent iniuriæ? Quamquam Marci in Didacum beneficium, non iniuria erat, arcem tamdiu retinuiſſe. Sed verè dictum eſt: *Quiſquis de accipiendo cogitat, oblitus accepti eſt, nec vllũ habet malum maius cupiditas, quàm quòd ingrata eſt.* Hæc cupiditas arcis retinendæ etiam Didacum fecit ingratum. Ac ſanè quò maiora in alios beneficia contulimus, eò magis nobis dolet, ſi pro gratia, quam meruimus, ſarcaſmos reportemus. Maxima autem ſunt beneficia, quæ boni milites in dominos ſuos conferunt, pro quibus tot labores, tot pericula, tot vulnera, accipiunt, ac ſanguinem ipſum profundunt. Sentiunt ergò maximè, ſi ne debita quidem ſtipendia, aut victum, & veſtitum accipiant & ad rapinas vel inuiti adigantur. Sed ego nunc nõ loquor cum ijs, qui debent ſtipendia perſoluere militibus. Cum illis loquor, qui erga eos miſericordes, & benefici eſſe poſſunt; & quantum facultates ſinunt, liberales. Dent panem, præbeant hauſtum, aut, ſi non poſſunt donare, tolerabili precio vendant, non duplici, aut triplici; aut omnino negent ſe habere, quæ habent.

Quia illis ſuccurrere, eſt eleemoſynam dare indigenti, exigit id fraterna charitas; immo iuſtitia; quia illi pro te ſtant in acie, & contra hoſtem, quem arcent, ne tua omnia auferat. Si illi daretur vltro, non cogeret illum extrema neceſſitas prædari, & pecora tua abigere. Denique gratitudo tua excitabit illum, vt, ſi quando neceſſe erit, tibi non ſolùm parcat, ſed vrbem tuam ipſe quoque fideliùs defendat.

*Quod inſulſum atque ſæuum, & inhumanum verbum, cùm Marcus audiſſet, ſeq; de fide incuſatum, nec illam ſatis domino praſtitiſſe putans, illico curiam regis Legionis petijt.* Qua de cauſſa? vt Didacũ de ingrato animo accuſaret? aut vt iam alij domino ſeruiret? nequaquam: ſed vt mundo oſtenderet, quàm nihili facienda ſit eius pompa, quantaq; fidelitate dominis ſit ſeruiendum. Itaque prolixam barbam, & negligenter comptos impexoſque deferens capillos, viliſſimaſque indutus veſtes aulam adijt, ipſo habitu incognitus. Quid eum hoc apparatu quæſijſſe putatis? Mundum voluit contemnere, Deo voluit, tamquam nouus Alexius, aut nouus Calybita, latitans, immo tamquam Lazarus, in omni humilitate, X. GVTERRIVS A MVNDO CONTEMPTVS, MVNDVM VICISSIM CONTEMNIT.

ſeruire, vt maiorem inde mercedem fideli-tatis reportaret. Siquidem, cùm nullam ſciret viliorem in tota aula condicionem, mundum in mundo decipiens, inter canes venatorios regis ſe recepit, atque cum illis panem anguſtiæ comedit. Nemo neſcit, quid talis condicio ſecum ferat, quem ſortiatur cibum, quem potum, quem locum habitationis, quem fœtorem ac peſtem narium, quem tumultum & latratum auribus excipiendum; denique quantum contemptum; quippe cùm abiectiſſimos volumus appellare, *canum pueros*, aut miniſtros vocamus. Talis ille glorioſus, generoſus, fidelis, conſtans miles eſt factus. Putaſſes inſanire. Ita planè amentes iudicant, ipſi ali-

Sap. 5. 4. quando dicturi: *Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.* Sed qui ſciunt, quàm vile, & fluxum ſit, quod ſpernunt; quàm longè præſtantiora, quæ in cælo ſperant, libenter purpuras cum centone, honores cum ignominia, gaudia huius mundi cum tribulatione commutant. Quia

Rom. 8. 18. non ſunt *condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et in-

In diuino Tribunali multi è ſtabulis, & pagis, & angulis, nunc Mundo penitus incogniti, vocabuntur ad cæleſtis gloriæ coronam, purpuratis illis relictis.

XI. GVTERRII MIRANDA FIDELITAS.

Voluit tamen Deus Marci virtutem adhuc etiam in hac vita reddere illuſtriorem. Nam ſicut lux nullis poteſt tenebris abſcondi, ita virtus etiam inter obſcuros eniteſcit. Itaque fuerunt, qui ſquallidi illius hominis inter canes agentis vitam, mores, actionesq́ue obſeruarent, ac tandem quanta ſub obſoleto habitu virtus lateret, agnoſcerent. Illico igitur ad regem aduolant, eiq́ue ſignificant, quantum belli ducem, inter canum greges, aleret. Rex euocatum ad ſe Marcum interrogauit: *Cur eò vſq; ſe demitteret, qui principem in aula locum facilè tenere poſſet?* Marcus, poſtquam multa de mundi vanitate, deque ingrati animi vitio diſſeruiſſet, tandem etiam Didaci, cui tam fideliter ſeruijſſet, ſcomma, remq́ue apud eum geſtam ordine commemorat, multiſq́ue cum lachrymis obteſtatur, ne ſe rex, tamquam profugum & Caſtri proditorem prouiuere vagarique vltro ſineret, ſed caſtrum hero redderet, atque vel hoc pacto ſe eidem fidem ſeruare permitteret. Tam generoſe

ſpiritui, cenſuit benigniſſimus rex annuendum. Quamobrem extemplo juſſit ei Caſtrum, quod ſeptem annis obſederat, ita vti tum armis & omni genere commeatus inſtructiſſimum munitiſſimumque erat, reddi. Dictum, factum. Marcus eo tam liberali beneficio exhilaratus, nonnè potuiſſet ipſe ſibi arcem ſeruare? & Didaco tam ingrato vices rependere? Nihil ille horum cogitauit, ſed quàm primùm caſtrum plenè poſſedit, ad Didacum ſcripſit, vt veniret jam, ac caſtrum ſuum reciperet, ſeque homagio præſtito liberaret. Didacus fidem viri admiratus Marco reſcripſit, vti arcem Regi Legionis traderet, ipſe homagio liber eſſet, & rariſſimæ fidei fortitudiniſq; præconijs mactus glorioſiſſimam vitam porrò ageret. Hæc fides memoria perpetua eſt conſecrata; neque enim Hiſpani tantùm, ſed totus terrarum orbis cenſuit dignam immortalitate. Quid ni & imitatione?

XII. Anima, tamquam castrum, contra ipsum rationis dicta-

Dixi ſuprà, caſtri vice animam nobis à Deo commiſſam, cuſtodiendam. Nos illam non tantùm ſæpe diabolo prodimûs, & temerè prodimus, ſed etiam, poſtquam toties oſtendit, quanta diſplicentia eam amiſerit, quantoque eam deſiderio cupiat recuperare,

perare, nihil mouemur, nihili facimus eam amiſſionem, in qua tamen nos ipſi longè plus amittimus, quàm Deus. Marcus vt ſuo officio, ſuo homagio, ſuo ingrato hero Didaco ſatisfaceret, arcemque recuperaret, vſque ad canes ſe demiſit; tu, ô peccator, non vis te demittere ad pedes ſacerdotis; & peccatori peccator peccata tua detegere, vt animam tuam recuperes, ac tam fideli Domino Deo tuo reſtituas quam malo dæmoni tradidiſti? Verè *filij huius ſaculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt*; adde, & fideliores; reddunt enim Cæſari, *quæ Cæſaris ſunt*, & iſti non *reddunt Deo, quæ Dei ſunt*. Mirum eſt, *Guterrium*, hominem ſæcularem & militarem, domino ſæculari, exuli, ingrato, tam fuiſſe fidelem; & nos Deo non eamdem præſtare fidelitatem. Quid facis, ô peccator? cur, imminente ruina, dormis? hæc anima tua, quam diabolus *rudentibus inferni* in exitium trahit, Dei eſt, illam à te repoſcit; illam pereuntem deflet; pro illa ſanguinem fundit; & tu illam hoſti illius vendis exigua volupratula; paucis nummulis, pro quibus duces, milites, totos exercitus, patriam ipſam prodis; pro qua tibi millies eſſet pereundum. Redi, redi ad

MEN, PRODITA, DEO RESTITVENDA.

Luc. 16. 8.

di ad Dominum, procide ante illum, plora coram illo, arcta eſt reſtitutionis obligatio, ſed omnium arctiſſima, qua animæ reſtitutio eſt facienda. Hanc reſtitutionem facis, per pœnitentiam. Pœnitentiam autem prompta mente ſuſcipies, ſi, vt Guterrius, apprehenderis, quantum ſit malum in peccato, per quod animam tuam amiſiſti. Nam ſi vel Deus non eſſet, cui peccatum tantopere diſplicet, tamen peccatum in ſe atque intrinſecè formalem malitiam continet, repugnat enim regulæ rationis, ac ipſi naturæ ratione præditæ, adeò vt actus peccati in ſe dicatur turpis, inhoneſtus, malus, & dedecus ac probrum mereatur. Vnde in quo nondum penitus extinctum eſt rationis lumen, de peccato erubeſcit; & clam peccat, ſi poteſt, ac angulos & tenebras quærit, & mille, ſi arguitur, excuſationes. Quòd ſi peccator in profundum veniat, nec ampliùs de peccato erubeſcat, tum magis apparet, quantum degeneret à natura ſua. Nam vt Seneca, alijq; Philoſophi, & Boëtius oſtendunt, vſque adeò à natura ſua declinat, vt quamuis externam hominis formam retineat (quæ tamen ſæpe ipſa, per quædam vitia, valde mutatur) tamen animo ad

Boët. lib. 4. de conſol. Phil. Proſ. 3. & 4.

mo ad beſtiarum condicionem, atque affe- ctionem deijciatur. Alius ſuperbiâ pauo, aut Gallus Indicus; alius irâ furoreque leo, aut leopardus; alius rapacitate lupus; aſtu- tiâ vulpes; inuidiâ canis, gulâ porcus, luxu- riâ equus admiſſarius, pigritia aſinus fit. In ſumma: *Homo cùm in honore eſſet, non intelle- xit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis:* amiſſa enim iuſtitia ori- ginali, paſſionibus multis ſubiectus eſt. Hinc qui maximi peccatores ſunt, quia maximè ignorantia & cupiditate excæcati, minimè peccata ſua vident, & agnoſcunt, ſicut beſtiæ. Quanta hæc miſeria? Ægrè fert, qui ſtupor, qui fatuus ab altero vo- catur; & ex ſe ipſo, ex anima ratione præ- dita facit beſtiam? quam tot ſcientijs & vir- tutibus Deo creatori ſuo ornare debuiſſet? Nonnè hic malè cuſtodit atrium ſuum, & Dei caſtrum? Pſal. 48.

XIII. QVOT ET QVANTAE INIVRIAE DEO FIANT PER PECCATVM.

Nam & hinc intrinſecè malum eſt pec- catum, per quod iniuria Deo infertur, qui ſi non formaliter, ſaltem interpretatiuè, à peccante contemnitur, atque ita contra honorem, & exiſtimationem debitam ei in- iuria impingitur. 1. Vt legiſlatori, cuius le- ges inſuper habentur, dum eo præſente & inſpe-

inſpectante, adeò liberè violantur. Qui e-nim legem nihili facit, cenſetur etiam nihili facere auctoritatē ac maieſtatem legiſlatoris. 2. Quiſquis morti ferè peccat, Deum ſpernit, vt finem vltimum, & obiectum beatitudinis ad quod tendere debebat; quia quaſi floccipendit illud bonum amittere, vt bonum temporale conſequatur. Atq; hoc eſt, auerti à Deo, tamquam vltimo fine ſupernaturali. Quod his verbis queritur Deus:
Ierem. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Diffluunt enim gaudia è creaturis hauſta, inſtar aquarū, per rimas ciſternæ. An non apprehendere debemus, ſi & leges Dei pedibus calcamus, & beatitudinem veram æternamq; cum friuolis & fugitiuis his mundi gaudijs commutamus? 3. Si parentes colendi ſunt, quia ab illis vitam & alimenta accepimus, quàm obſtricti erimus noſtro Creatori? quem in beneficijs contemnit peccator. Non enim æſtimat infinitam Conditoris maieſtatem; non curat, quòd ex nihilo ab illo productus ſit; non quòd tot bonis animæ & corporis ditatus ſit; non quòd mundus iſte viſibilis, & omnia quæ in eo ſunt, ipſius cauſſa, & quidem non

ſolùm

ſolùm ad vſum, verùm etiam ad obſequiũ illius, creata ſint. Denique nihil eſſe ducit, ſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei factum eſſe: neque conditum eſſe capacem diuinitatis. Omnia iſta ſeponit, & contemnit, dummodo creaturis fruatur, & habeat, quod ſenſum mulcet. Ob quod itidem queritur Deus: *Haccine reddis Domino, popule ſtulte & inſipiens? Numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* Deut. 32. 4. Quid non fecit Deus, vt nos à peccato, à poteſtate diaboli, ab æternis flammis redimeret? De cælo deſcendit, exinaniuit ſemetipſum, carnem & mortalitatem immortalis Deus induit; eſuriuit, ſitiuit, laborauit, ſudauit & alſit; ignominias, accuſationes falſas, alapas, ſpinas, flagella, ſputa, crucem, mortem ſuſtinuit, vt nos ab orco liberatos cælo aſſereret. An non meruit, vt ei fideles eſſemus? Sed nos, propter leuem vindictam, ob exiguam delectationẽ, omnia illa contemnimus, inefficacia atq; irrita reddimus, ſanguinem illius diuiniſſimum pedibus proterimus. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit,* Hebr. 10.

*culcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratia contumeliam fecerit?* 5. Miriſſimum eſt, etiam ſceleratiſſimos cohiberi metu magiſtratus ciuilis, aut etiam timore ignominiæ, peccatorem autem, Iudicem diuinum contemnere, quidquid minetur, etiamſi minetur pœnas & flammas ſempiternas. An non enim Iudicem contemnit, qui, vt ſuæ libidini ſatisfaciat, non ſinit ſe deterreri, quidquid Iudex moneat, ſtatuat, clamet, minetur? Quid autem ſtultius, quàm non timere eum, *qui poteſt, & animam, & corpus perdere in gehennam?*
Matth. 10
6. Quanti facimus amicos, præſertim eos, qui magna nobis poſſunt præſtare? quiſquis autem per peccatum, ſinit in animam ſuam intrare hoſtem iuratum Dei, amicitiam Dei contemnit, quem non ſolùm, vt Iudicem non timet, verùm etiam non amat, vt amicum, cuius amicitia ac fauore tot dona cæleſtia, ac demum etiam cælum ipſum poteſt adipiſci. 7. Quiſquis peccat lethaliter, omnia quæ in Deo & perſonalia ſunt, & abſoluta, contemnit. Deum Patrem contemnit, vt primam omnium rerum originem, præſtaret enim eum non eſſe, quàm eſſe. Filium Dei con-

contemnit, vt Redemptorem, quia eius redemptionem negligit, nec ſinit eſſe efficacē. Spiritum ſanctum contemnit, quia omnes eius inſpirationes repellit. Contemnit Dei immenſitatem, quaſi non præſens ſit; contemnit eius ſcientiam & ſapientiam, quaſi non videat; contemnit eius ſanctitatem, quaſi non colenda ſit; contemnit eius iuſtitiam, quaſi mala non debeat punire; contemnit eius omnipotentiam, quaſi plectere reos non mille modis poſſit; contemnit denique eius miſericordiam, patientiam, bonitatem, longanimitatem, quaſi non tam diu ad pœnitentiam faciendam expectet. Quare ita eum Apoſtolus alloquitur: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Rom. 2.

Hæc ſunt intrinſeca peccati mala ob quæ meritò illud fidelis Dei ſeruus deteſtatur. Sed & ob effectus, qui ex eo ſequuntur, omnibus modis eſt execrandum. 1. Per illud amittitur gratia habitualis, qua homo iuſtus, Dei amicus, & Dei filius adoptiuus ef- XIV. QVOT, ET QVANTA DAMNA ANIMAE PECCATVM INFERAT?

 fectus,

fectus, ex iuſto iniuſtus, ex amico inimicus, ex filio fit extraneus. Gratia enim habitualis, ſeu donum charitatis, per ſe & vi Phyſica, reddit hominem iuſtum, id eſt conformem legi diuinæ; cùm in ea includatur totius legis diuinæ propoſitum: adeoq́; charitas ſit vera iuſtitia Chriſtiana, quæ eſt ſupernaturalis conformitas cum lege diuina. Cum hac gratia & charitate peccator priuatur etiam ſimul omnibus virtutibus ſupernaturalibus, præter fidem & ſpem; quia fit his donis indignus. Cùm igitur eodem momento, quo peccator conſentit in peccatum, tanta exiſtat in anima eius mutatio ſpiritualis, cæleſti calore & vigore ac pulchritudine ſupernaturali extincta; hinc adeò horrent peccatum, quicumque ſciunt, quid ſit peccatum. 2. Non tantùm gratiâ hominem priuat peccatum, ſed etiam ipſo Spiritu ſancto inhabitante, qui diuina ordinatione cum charitate coniungitur: quia vult Deus hominem ad gloriæ, & beatitudinis ſuæ communionem euehere. Qua de cauſſa ſtatuit, vt dono gratiæ habitualis, ſeu charitatis, donatio Spiritus S. annexa ſit; adeoque etiam filiatio, ſeu adoptio diuina; quæ jus diuinæ hæreditatis ſecum fert. Itaque

que charitate ( quæ eſt vinculum, quo Deus animæ coniungitur ) amiſſa, ſoluitur hæc vnio, & Deus ab anima recedit, non loco, ſed affectu, & cura ſingularis prouidentiæ. Ita è filio Dei fit filius diaboli, quia expulſa gratia & charitate, peccatum, tamquam quamdam vitam & formam à diabolo trahit, per quam illi fit ſimilis : immo per peccatum ipſe diabolus incipit ( loco S. Spiritus ) in homine habitare, vt eum regat & ad malum impellat. *Omnis enim, qui facit peccatum, ex diabolo eſt*, hoc eſt, filius diaboli, 1. Ioan. 3. quia *in hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij Diaboli.* Qua de cauſſa ait Seruator. *Vos ex patre diabolo eſtis.* Quis prudens hanc filiationem non deteſtaretur ? Ioan 8. 3. Hinc per peccatum homo priuatur jure cæleſtis hæreditatis, & omnium bonorum, quæ Sancti ſunt in cælo poſſeſſuri. Quia, ſoluta adoptione, & perdita filij dignitate, perditur jus hæreditatis, & ex hærede Dei, fit hæres diaboli & omnium, quæ ſuprà recenſuimus, malorum inferni. *Si enim filij, & hæredes*; Rom. 8. quod in vtramque partem valet, Dei ſcilicet & Spiritus maligni. 4. Itaque non tantùm perditur jus ad cælum, per peccatum, ſed etiam fit peccator æternæ damnationis

Rom. 6. reus, quia *ſtipendium peccati mors,* non tantùm naturalis, nec tantùm ſpiritualis, quâ gratia extinguitur, ſed etiam æterna illa vitæ æternæ oppoſita quam peccatum per ſe meretur. 5. Hinc quid mirum ſi etiam mereatur perdere peculiarem illam protectionem diuinam, qua ſolet Deus filios & amicos ſuos tueri, contra inſidias & tentationes mali tentatoris, varijſque gratiæ auxilijs præuenire? Dignus eſt enim peccator, qui diuinos inſtinctus repellit, vt à Deo deſeratur, & tamquam mancipium diabolo relinquatur. Hinc in vno peccato non ſiſtitur, de peccato in peccatum itur. Quis non horreat horum effectuum cauſſam? 6. Neque illud eſt contemnendum, quòd peccatum hominem priuet omnibus meritis, ac bonis operibus, quantumuis ſint multa & magna; immò ſi vnus collegiſſet ſolus tot merita, quot omnes Sancti ſimul, tamen vel vnico peccato mortali, omnia illa euerteret, & inefficacia inutiliaque redderet, & Ezech. 18. quaſi mortua. *Si auerterit ſe iuſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.*

XV. A GVTERRIO PVDI-

Tot dona & gratias quia amittit, & tot damna incurrit peccatum, mirum eſt, vllum

lum mortalem eſſe tam væcordem vt peccet. *Guterrius*, putauit rationi eſſe aduerſum, ſi heri ſui caſtrum traderet, & ita omnes fideles milites ſentiunt: & nos non apprehendimus eſſe contra rationem, ſi animam noſtram Deo ablatam, diabolo tradamus? Guterrius Didaco homagium præſtitit: præſtitimus & nos Deo, in baptiſmo, & pœnitentia. Ea condicione caſtrum Guterrio commiſit, vt eam ſeruaret? quot leges tulit Deus, vt nos animam noſtram ſeruaremus? Stipendio Guterrius fuit Didaco obligatus? quot nos Creatori noſtro beneficijs obligati ſumus? Numquam Didacus pro Guterrio mortuus eſt, numquam pro eo crucifixus, aut flagellatus; at Chriſtus hæc omnia ſuſtinuit pro peccatore. Timuit Guterrius Didacum, vel vnum acerbius verbum prolaturum: & non timet peccator Deum dicturum: *Ite maledicti in ignem æternum?* Noluit Guterrius Didaci amicitiam, fauorem, & gratiam amittere: & peccator Numinis amicitiam non veretur profligare? nec curat charitatis, juſtitiæ, adoptionis diuinæ, ipſius S. Spiritus, hæreditatis cæleſtis, protectionis peculiaris, omnium meritorum iacturam? Nec exilium, FIERI PECCATORES.

nec mortem Guterrius à Didaco inferendā metuebat. Peccator à Deo mortem æternam certiſſimò decernendam debet metuere, & non abſtinet à peccatis! ô quàm cæci ſumus! ô quàm inſani, qui hominem, plus timemus, quàm Deum; plus amamus, pluſque illius, quàm huius gratia facimus! An non meritò à Deo viciſſim contemnendi & damnandi! Igitur reſipiſcamus, & ad Deum reuertamur: dicamus ad tentantem:
Gen.39 8. *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo ſua; nec quidquā eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?*

## CAPVT V.

## EXEMPLO PETRI CVIVSDAM DOCETVR, QVANTA SIT DIVINÆ CLEMENTIÆ BONITAS, ET MISERICORDIA, AD IGNOSCENDVM ETIAM DESPERATISSIMIS; QVA IPSA BONITATE PECCATORES AD POENITENTIAM ALLICIVNTVR.

I. Abrahā. Bzo. Anno Christi

CIRCA annum Redemptoris 1220. vt tam in hiſtoria Eccleſiaſtica, quàm

quàm PP. Dominicanorum memoratur, cùm aliquando, Cæſaraugustæ, apud Aragones, D. Dominicus conciones habere cœpiſſet, eaſque admodum frequentes & celebres, excitatis omnium ſtudijs, magni æquè fructus atque applauſus extiterunt, magnæque peccatorum conuerſiones. Inter quas etiam fuit Petri cuiuſdam principis viri. Nobiliſſima is eratproſapia oriundus. Genus etiam fortuna comitabatur, quæ ei, ex copia diuitiarum, etiam potentiam adiecit. Fortuna autem non perinde virtutes ſecum affert, atque opes. Sæpe dum copiam auri ſuppeditat, ſubminiſtrat pariter materiam flagitiorum: & quò potentior impietas, eò ſæuit magis. Quamobrem & Petri fortunas magnas magna vitia dedecorauerunt. Itaque nihil illo in tota vrbe notius; nemo infamiâ magis laborabat; digitis puerorum nominabatur, id quod euenire neceſſe eſt, vbi in generoſis copioſisq; hominibus probitas vitæ requiritur, vnde & genus, & diuitiæ claram lucem mutuantur. Ad hunc ergo fama de D. Dominici virtute ac dicendi poteſtate vbi peruenit, non potuit non præclara eius facinora, ex ore narrantium accepta admirari. Pupugit itaque eum cu-

1220, n. 13. Ferd. Hiſt. hiſtor. Dominic. 1. p. cap. 49.

PETRI FORTVNA, ET DESPERATA CONSCIENTIA.

rioſitas : ſed conſcientia retraxit. Ita enim ſecum tacitus diſputauit. Diuinus vir diuina tractat : quid ad me diuina, qui totus rebus caducis ſum immerſus? Ita diuitijs, delicijs, agglutinatus ſum, vt nihil me poſſit, niſi mors ſeparare. Et hoc ipſum triſti animo futurum audio. Cælum dudum mihi clauſi; & quia æterna gaudia ſperare non poſſum, ſaltem præſentibus gaudijs fruar. Fruſtra igitur Dominicum adibo concionantem. Sed adeunt illum & alij peccatores? illi nimirum adhuc ſperant; ego ſpem abieci ſalutis: illi tanti non ſunt peccatores, ego tam multis, in tam grauibus peccatis

Gen 4. 13. indurui, *maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Alij per Dei clementiam viam ad cælum inueniunt, *ego diuinæ miſericordiæ ianuam aditumq́; mihi præcluſi.* Indurui vt argilla; vt ſaxum molliri non poſſum. Fruſtra ergo adeo medicum, de vita deſperatus. Quamquam quid refert? multi adeunt non pietatis, ſed curioſitatis cauſſa conciones. Sim & ego de numero eorum. Eſto, nihil diſcam, ſaltem ero *ſpectator otioſus, & teſtis oculatus eorum, quæ de hoc concionatore à tam multis prædicantur.* Ita ſtatuit.

II. **Verbum Dei non eſt temporis fallendi** cauſſa

cauſſa audiendum, ſed vt inde in fide in- ſtruamur, atque ad rerum diuinarum co- gnitionem amoremq́; inflammemur: per- uerſeq́; agunt, qui ob curioſitatem, vt elo- quentiam, vt idiomatis proprietatem, vt noua & animum aureſq́; permulcentia au- diant, templa ac conciones frequentant. Et tamen tanta eius eſt vis, vt non rarò eti- am his proſit. *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vſq; ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoq; ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Quod eti- am expertus eſt obturatiſſimus iſte Petrus. Nam die quodam, ſola nouitate pellectus, cum magno partim clientum, partim fa- mulorum comitatu, in illud ipſum tem- plum ingreſſus eſt, in quo D. Dominicus ad populum verba faciebat. Nondum tamen tunc concionem inchoauerat, ſed à longè conſpexerat dynaſtam non ſine ſtrepitu in templum intrantē, quem nonnullę hiſtoriæ memorant, ipſius S. Dominici cognatum fuiſſe. Quàm verè Chriſtus dixit: *Nolite ju- dicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate?* S. P. Noſtrum Ignatium, quidam viderat paupere tunica incedentem, & iu-

QVALIS S. DOMINICO APPARVERIT PETRVS EX CVRIOSITATE AD ENS CONCIONEM?

Hebr. 4. 12.

Ioan. 7. 24.

uenili petulantia dixit: Diſpeream, niſi iſthic homo dignus eſt ignibus; ſed mox ipſe, diuina Nemeſi iudicij temeritatem puniente, ſubito exorto igne in aërem ſubuectus eſt. At hunc Petrum, purpuratum, torquatum, cum tanto famulorum, clientumq; comitatu in templum ſubeuntē, attoniti ſuſpexêre omnes, ſurgenteſq; ei reuerentiam exhibuerunt, in eo fulgorem auri oſtriq; & criſpatam capitis cæſariem admirantes; eumque de potentia ac opulentia venerantes. Longè tamen alium eum, nempe, qualis in animo & coram Deo erat, intuitus eſt D. Dominicus. Non enim circa eum officia clientum, non turbam famulorum aſpexit, ſed tot vndique vidit circa eum teterrimos caçodæmones exultantes, eumque catenatum raptantes & trahentes quò volebant; quot ille genera flagitiorum commiſiſſet. Fudit igitur ardentiſſimas, pro illo, ad cælum preces, animamque illius omnium Conditori Deo quàm contentiſſimè commendauit. Poſt hæc vota cathedram conſcendit, atque ad populum dicere exorſus eſt. In ea oratione iacturam animæ peccantis, perniciemque, atque futuram pœnam, quæ eam, in altero ſæculo manet, præ-

ſertim

ſertim autem conſcientiæ malæ carnificinam, authoritate ac ſententijs diuinæ Scripturæ, rationibus, experientia ipſorum præuaricatorum ita luculentè demonſtrauit; vt Petrus ille vehementer percelli videretur. Sed, vt pluuia de nube cadens, terram bonam ſubit, rigat, facitque fructiferam, rupem autem tantùm extrinſecus abluit, intus ſiccam relinquit: ita bonæ mentes quaſuis imbibunt pietatis monitiones: homines autem indurati, audiunt quidem minas Dei, pœnas inferni, exitium ſibi imminens, ſed ſicut Æthiopes etiam loti non fiunt candidi; immò ſicut ſaxum ſumma dumtaxat parte madeſcunt; auribus, non cordibus accipiunt, quæ illis vtilia inſtillantur. Dum concioni interſunt, cogitant: *hoc quidem verum eſt: ita fieri oporteret: Vtinam hoc vxor, aut maritus, aut ſocius audiret!* de ſe nihil dici arbitrantur: aut ſi arbitrantur, vix è templo egreſſi, oblitterant; ac nouis peccatis, aut antiqua conſuetudine obruunt. Quod huic Petro euenit, ſimili ei qui ægrotat, cui medicus ſalutarem præbens medicinam ait: Sanaberis, ſi hoc poculum ſumpſeris: morieris, niſi biberis. Ille autem digreſſo medico quia pharmacum eſt inſuaue atque

ama-

amarum, poculum per feneſtram in plateam effundit. Cur tam multi quotidie damnantur ac pereunt? quia audita in concione reſpuunt. Pauci, aut vix vlli perirent, ſi concionatori obedirent; & ſtatim dum calet verbum, cuderent proponerentque ſibi efficacem vitæ emendationem.

III. PETRI CALAMITAS ET STATVS POPVLO OSTENSVS.

Quid igitur de Petro factum eſt? Multi alij tepidi in zelo animarum de eo deſperauiſſent, eumque pro derelicto habuiſſent. Haud tamen ita egit acerrimus Dei ſeruus Dominicus, qui haud ignarus, tam excæcatum peccatorem ſine miraculo conuerti non poſſe, cùm alia vice celeberrimis quibuſdam ferijs, inter concionandum, videret denuo Petrum in templum, cum pompa ſua pedem inferre, interrupto ſermonis filo, repentè alta voce exclamauit: *Chriſte, prædulcis, & præpotens, perfice vt auditores mei, eius, qui modò in ædem tuam pedem intulit, miſeram condicionem, animi ſtatum, periculumq; peruideant.* Nempe quod ipſe nuper viderat, tunc cupiebat etiam à populo videri; vt vnius in ruborem dati exemplo plures corrigerentur. Audijt Chriſtus orantem Dominicum, ac diuina vi effecit, vt qui aderant concioni, itidem intuerentur

rentur mille cacodæmonum ſpectra, Petri animam captiuam ferroq; deuinctam, quò impetus ferret, pertrahentia. Ibi alijs rei nouitatem admirantibus, alijs ſpectaculi inſolentia exterritis, ingens repentè exortus eſt clamor, *concitatusq; tumultus horribilis, fugientium, vociferantium, perſtrepentium, vt ab inuiſo immaniq; monſtro ſibi quiſq; caueret hortantium, belluamq; trucem auerſantium: imminere omnibus tartarum, quem Petrus circumferret; inq; fuga eſſe ſalutem. Ad has vocum incredibiles contentiones, terroreq; multorum, inſcius Petrus obſtupuit, & ex vno famulorum tremefacto, cur ipſe fugeret, quæſiuit, curq; alij palantes ac diſperſi recederent, & pauerent attoniti, inueſtigauit? Iſta, inquit famulus, me tua facies & figura conturbat, quæ non meum mihi herum ac dominum, ſed ſatanam repræſentat. Te Erebus pro ſuo habet, vincit, rapit, & raptat manus inferna. Hinc fuga popularis, murmur, terror, & conſternatio plurimorum. Ipſa quoque nobilis vxor exclamat, ſimul atq; Dei voluntate mariti ſui miſeriam, & Tartareos illos vexatores aſpexit. Ancilla etiam conſpecto dæmonum agmine gemitus, & vultus continere non poterant.*

Trium

ADMIRANDA PETRI CONVERSIO, ET DEI MISERICORDIA.

*Trium horarum ſpatio inſolens illa forma formidoloſaq́ſ ſpecies templum omne turbauerat, cùm Petrus jam ſui & compos, & ſimilis ita fari cœpit: In extremam mihi videor redactus miſeriam, quem plebs cuncta, famuli, amiciq́ſ defugiunt: &, quod eſt admirabilius, coniux ipſa perhorreſcit, ſuiq́ſ mariti cane peius & angue euitat aſpectum. O me perditum, ac planè deſperatum, cui vni poſt hominum memoriam accidit, vt notos, ignotos, propinquos, alienos, domeſticos, externos ſuo aſpectu, tamquam Cerberus alter vertat in fugam.* Prodeſt ſubinde ab hominibus deſpici, & mundi ludibrio exponi. Quia, teſte Iſaia, *vexatio intellectum dabit*, & incipiunt, ſe ipſos agnoſcere, quibus alij digitum intendunt ad illorum calamitatem. Nondum Petrus medicinam quæſiuerat, incipiebat tamen ſentire ſuum morbum. Vſus eſt occaſione Dominicus. Nam poſtquam tempeſtiua oratione pauentem populum, & crucis ſigna iterantem anhelitumq́; trahentem à timore recreauit, comitem ſuum F. Bernardum, ad lamentantem, plorantem, & ſe ſine modo plangentem Petrum cum mandato Roſarioque miſit. Is, vice ac nomine Dominici ita cum eſt affatus: *Quacumque gradiaris,*

Iſa. 28. 19.

*vis, quocumque te vertas, Orcus inſequitur, populo id quidem ſpectante, & te, cuius id ſcire maximè intererat, neſciente. Sed tamen de peccatis tuis omnibus confitere, ac pœnas à teipſo quàm duriſsimas repete: cape ſimul hoc Deiparæ Roſarium, & in eius ſalubri precatione totus occupare: niſi vis, vt te terra dehiſcens abſorbeat.* Etiam quercus ex ictibus repetitis deijcitur. Quare & Petrus petra quauis huc vſque durior, tandem eſt emollitus. Nam inprimis Roſarium, quod antè non æſtimauerat, reuerente manu accepit; metuque etiamnum tremebundus in hæc verba reſpondit: *Meo nomine, frater optime, renuntia Dominico, hoc eius munus mihi fuiſſe gratiſsimum: & quando meas miſerias multò me vidit apertiùs, det operam medicinæ faciendæ: idque à me ſuppliciter poſtulari.* Roſario accepto, ante Mariæ Deiparæ imaginem procubuit, illudque intermixtis lachrymis attentè recitauit. Videte Dei Matrem; videte *Aduocatam noſtram;* videte *Refugium peccatorũ.* Is qui tot annis iacuerat in ſordibus omnium peccatorum, qui indurauerat in mollitie, qui excæcatus fuerat auaritia atque libidine; qui de ſua ſalute, de diuina miſericordia, de Dei infinita bonitate deſperauerat; vnico Ro-

ſario

ſario in honorem Dei genetricis recitato, liquefactus eſt in lachrymas, mollitus ad pœnitentiam, illuminatus atque erectus ad ſpem. Itaque ab oratione ſurgens illico ad D. Dominicum accurrit, atque totius anteactæ vitæ ſcelera expiauit. Audita huius peccatoris confeſſione, S. Dominicus Virginem Matrem, ad ſententiam in tam difficili cauſſa ferendam, inuocauit, eamq; conſuluit de modo pœnitentiæ imponendæ: cuius ſuaſu, præter alia, quæ tam publicè, propter exempli offenſionem, quàm priuatim occultis nefarijs flagitijs expungendis, tum facienda, tum patienda præſcripſit; eum Roſarium quotidie, toto reliquo vitæ decurſu juſſit perſoluere. Poſtea à peccatis abſolutum conſolantibus verbis bene ſperare docuit, atque in propoſito confirmauit. *In Dei juſtitiam & ſeueritatem incurreras*, inquiebat, *ſed Roſarij beneficio in miſericordiæ ſinu conquieſcis.* Ad quod ſtabiliendum propoſitum, in Sodalitium adſcribitor, vt aliena merita tibi egentiſſimo ſuffragentur. *Paruit illico Petrus negati toties Chriſti dolore contabeſcens: galliq; cantu, id eſt, Dominici voce correctus, ſeq; ipſe propria manu in Sodalitatis tabulas retulit, & catalogo aſcripſit*

*aſcripſit ſociorum.* Ne quis autem tardum eſſe Deum ad ignoſcendum exiſtimet, jam olim per Prophetam dixit: *Impietas impij non nocebit ei, in quacumq; die conuerſus fuerit ab impietate ſuâ.* Ezech.33. 12. Cuius rei exemplum fuit etiam iſte Petrus, nam illico judicium æquante Deo factum eſt, vt quicumque priùs miſerrimam Petri ſeruitutem aſpexerunt, teterrimaque circa eum ſpectra oberrantia formidarant; jam tribus ornatiſſimis coronis, eiuſdem pœnitentis caput cinctum redimitumque palàm intuerentur. Quid multa? hic Petrus antea tam ſceleratus, cùm poſtea, ex mandato Confeſſarij, Roſarium Beatiſſimæ Dei Matri quotidie orando offerret, dignus habitus eſt eâdem Dei Matre monente, mortis ſuæ horam præſcire. Vultis adhuc aliquid maius? Ille deſperatus antea Petrus, ille à tot cacodæmonibus vinctus peccator, tandem eò venit, vt cùm animam ageret, Dei Matrem, immò ipſum Chriſtum Deum de Deo haberet præſentem, atque contra Stygij tentatoris artes inſidiaſque protegentem. Ita peſſimæ vitæ homo, per pœnitentiam, à S. Dominico ductus eſt ad Mariæ patrocinium & tutelam, immò ad inauditam Dei

clementiam & bonitatem experiendam.

V. Multa huc vſq; diſſerui de cauſſis, ob quas ad pœnitentiam confugere debeamus. Mouere nos debent publicæ neceſſitates, more Italorum. Mouere debent propria delicta, quæ, niſi nos lachrymis diluamus, vindictam diuinam expoſcunt. Mouere ſeuera Numinis atque immenſa iuſtitia, quæ pro leui & breui voluptate æterna tormenta minatur, & infert. Mouere ipſa peccati turpitudo, quæ ſummam Deo, naturæ, nobis iniuriam impingit. Reſtat tamen, meo quidem judicio, his omnibus cauſſa adhuc maior, & apud omnes bonas mentes potentior, immò & apud ipſos impios efficaciſſima; nempe infinita Dei bonitas, clementia, & miſericordia; quæ ex hoc Petri exemplo elucet. Cur tam multi illecebris Mundi, velut viſco inhærent? cur tot conſuetudini ſuæ velut catena alligantur? cur confiteri vel nolunt, vel fictè audent? cur ad opera pœnitentiæ manum non applicant? Quia nimirum cum hoc Petro diuite deſperant, tam de ſua ſalute, quàm de Dei bonitate. Quoniam autem ſciunt, ſe cæli gaudia profligaſſe, ſaltem volunt, dum hîc viuunt, qualeſcumque demum venari

INTER MVLTA POENITENTIAE MOTIVA CVR POTISSIMVM DIVINA BONITAS?

nari voluptates. Hæc vltima & maxima eſt catena peccantium, quæ impedit, vt ne effugia quærant, aut remedia euadendi. *Is verè dignus eſt deſperatione, qui de ſeipſo deſperat*, ait S. Chryſoſtomus, *ille non jam ſalutem, neque ſpem habet. Non in malorum veniſſe profundum, eſt graue, dilectiſsimi: ſed poſtquam veneris, ibi jacere. Non in profunda cecidiſſe malorum, eſt impij, ſed poſtquam ceciderit contemnere: propterea debet ſemper eſſe ſolicitus. Dic mihi, Proptereáne contemnis, quòd vulnera tot habeas incurabilia? Sed nullum eſt animæ vulnus incurabile. In corpore quidem multa ſunt talia, in anima verò nullum: & pro illis quidem laborare non deſinimus, pro his verò torpemus. Nonnè vides latronem, quàm breui tempore curatus eſt?* Quàm citò è Saulo factus S. Paulus, ex Matthæo & Zacchæo Publicanis diſcipuli Chriſti? ex Magdalena peccatrice pœnitens, ex hodierno Petro deſperatiſſimo etiam miraculis coruſcans? Poſſent quàm plurima exempla huius diuinæ bonitatis adduci, mihi hodie illud ſufficiet, quod ad omnes pertinet, myſterium Incarnationis. S. Chryſ. hom. 40.

VI. Bonitas divina in

Ex fide nouimus, Deum antè quàm mundus conderetur, ab æterno, ex ſui ipſius vi-

CREANDO, ORNANDO, REDIMENDO HOMINE

ſione & amore fuiſſe beatum, ſibique ipſi ſufficientem. Quod probè ſciens Dauid aiebat: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Cùm ergo

Pſal. 15. 1.

ex ſeipſo omnia habeat, nihil prorſus, extra ſe, amare illi opus fuit, vllo vtilitatis vel beatitudinis ſuæ reſpectu. Tanta illius eſt bonitas, vt nihilominus priùs, quàm eſſemus, adeoque mereri aliquid poteramus, nos jam amaret, & ex nihilo educeret, totque naturalibus, & ſupernaturalibus donis ornaret. Nec ſatis fuit, nos nihil fuiſſe, vidit ab æterno, hominem ex nihilo productum totque donis ornatum peccaturum, neque in Adamo tantùm, ſed propria etiam voluntate, ac omni genere flagitiorum; atque ita pro innumeris beneficijs ingratum futurum, & innumeras iniurias repoſiturum. Vidit hoc Deus, & nihilominus, quia *diues eſt in miſericordia*, mundum creauit. Nos ſæpe benefacimus homini, qui poſtea eſt ingratus, & pro beneficijs acceptis reponit nobis maledicta, quod ſi antè vidiſſemus, fortè non benefeciſſemus. Non ſic Deus, ſciuit quid facturi eſſent homines, & tamen creauit homines, adeoque amauit eos, à quibus erat odio habendus,

Epheſ. 2. 4.

dus, ſicut homines Deum, à quo amantur, deteſtantur. Quia autem etiam vidit homines Inferni pœnas promerituros; ita eos dilexit, vt vel ſic vellet eis remedium ſuppeditare. Remedium in quo vnico infinita eius bonitas abundè demonſtratur. Quæ enim niſi infinita clementia & charitas pro tam ingrato & inimico homine redimendo daret id quod habet pretioſiſſimum, chariſſimum, nimirum Filium ſuum vnigenitum, vnum ac eumdem Deum ſecum, in quo *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter?* Col. 2. 9.
Dedit autem non quomodocumque, ſed fecit eum paſſibilem, vt pro nobis famere, ſitire, frigere, alapis, flagelliſq; cædi, damnari, occidi poſſet, & maximos pati cruciatus.

VII. CVR E VIRGINE NASCI VOLVERIT DEVS?

Infinitæ huius bonitatis arcanum adhuc plus detegit modus dandi, quia, tametſi poſtquam homo fieri decreuit, perfecti viri corpus, quale fuit Adami, accipere potuiſſet, haud tamen ita fecit, ſed *ex muliere* naſci voluit. Gal. 4. 4.
1. Vt ab infantia pro nobis pateretur, vnde ipſe ait: *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea*, adeò amauit labores, cùm eos nos, quantùm poſſumus fugiamus. Pſal. 87. 16.
2. Vt diuina bonitas tantò ſe

ampliùs diffunderet in vtrumque humanæ naturæ ſexum, ſi *virum* ad infinitam filij Dei naturalis, *feminam* verò ad matris ipſi-
S. Thom. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4. us Dei dignitatem euexiſſet; quæ, vt S. Thomas docet, eſt quodammodo etiam infinita. Ex qua re oſtenditur, Deum omnibus benefacere: Nam *in Chriſto IESV, non eſt Iudæus, neque Græcus; non eſt ſeruus, neque*
Gal. 3. 28. *liber; non eſt maſculus, neque femina.* 3. Vt perditio noſtra, quæ à viro & femina cœpit, ab alio viro & femina reſtauraretur; à viro quidem præcipuè tamquam à capite, & vnico Mediatore noſtro, patreq; futuri ſæculi; ſed ab eius Matre, tamquã coadiutrice in opere Redemptionis. Nam Chriſtus eſt Beatiſſimę Virginis ſanguis & caro. Hinc
Gen. 3. 15. ab initio dictum eſt: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius; ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* 4. Vt duplici modo miſericordiam Dei cognoſceremus, atque in ea ſperaremus, diuino ſcilicet, & humano: diuino, in miſericordiæ immenſitate; humano in muliere Matre. Sunt enim mulieres ad miſerendum proniores, & à natura magis inclinatæ. Vidit autem SS. Trinitas ab æterno innumeras feminas, multas

vtique

vtique præſtantes, ſed ex omnibus elegit illam, quæ erat Filio virtutum imitatione ſimillima, atq; ſalutis humanæ promouendæ ſitientiſſima, ad quam in neceſſitatibus noſtris ea confidentia recurreremus, qua ſolemus ad matrem confugere. Eſt enim illa *Mater miſericordiæ, Aduocata noſtra, & Refugium peccatorum.* Non quòd Chriſtus ſolus non ſufficiat, ſed vt, ſi puſillanimes ad ipſum accedere timerent, vtpote non hominem ſolùm, & noſtrum Aduocatum; ſed Deum ſimul ac iuſtum Iudicem: ad Matrem ipſius confidentiùs accederent, ad quam Iudicis munus non pertinet, ſed tantùm *Aduocatæ*; illa autem, Miſericordiæ, pietatiſq; Mater, pro omnibus intercederet. Ex quo ipſo patet, quantopere Deus noſtram ſalutem eiuſq; conſequendæ fiduciam deſideret. Nam in æterno ſuo conſilio hanc Virginem in Matrem ſuam elegit, vt ſimul eſſet excellentiſſimum miſericordiæ vas, in quo magnalia, quæ talis Filij matrem decerent, reponerentur. Qua de cauſſa *electa vt ſol* vocatur; ſuperat enim præſtantia omnes alios electos. *Elegit nos*, ait Apoſtolus, *in ipſo, ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti & immaculati in con-*

S. Thom. 3. p. q. 7. a. 10.

Cant. 6. 9.

Eph. 1. 4.

S Hieronym. ſerm. de Aſſumpt ſpectu eius in charitate. Quia teſte S. Hieronymo, *gratiæ omnes, quæ diuiſim alijs Sanctis ſunt datæ, Mariæ fuerunt ſimul pleniſſimæ conceſſæ*, eò quòd ex ea naſciturus eſſet auctor ipſe gratiarum Chriſtus, qui vt ipſe
Dan 9. 24. eſt *Sanctus Sanctorum*, voluit vt Mater ſua eſſet Sancta Sanctarum, hoc eſt, vt in omni genere & gradu virtutum & gratiarum excelleret, adeoque etiam in charitate proximi, quæ ex Dei charitate reſultat, fuitque tanta in ipſo conceptionis momento, vt Angelos, & ipſos Seraphinos ſuperaret. Ita
Hebr. 1. 4. enim erat digna *Dei Mater*, digna *Angelorum regina: tantò melior ipſis Angelis*, ſanctiorque *effecta, quantò excellentius præ illis* (qui ſerui ſolùm & adminiſtri in domo eius futuri erant) *nomen* erat acceptura, ſcilicet *Matris Dei*. Ibi ergò curſum ſuum cœpit, quò Angeli ſuum produxerant & abſoluerant. Si ergo viuere incipiens jam tot habuit gradus charitatis, miſericordiæ, & clementiæ, quot in cælo Beati Angeli, eoſque ſemper auxit, immò duplicauit, & conduplicauit; quantam jam in cælo miſericordiam poſſidebit?

VIII. QVAN SIT Nemo jam miretur, ſi Petrum tam grandem peccatorem, tam inueteratum, & deſperatum

ſperatum patrocinio ſuo juuit. Charitati illius nulla poteſt iniquitas comparari: cupit enim illa, exemplo Filij, *omnes*, quales, & quantoſcumque peccatores, *ſaluos fieri*; & à nullo retrahit ſuam charitatem. Ex qua vlteriùs licet aſcendere ad illam diuinam immenſamq́ue Chriſti miſericordiam, charitatem, & bonitatem. Quid multis opus? infinita eſt. Hinc quid mirum, ſi Petro tam deſperato, ſi latronibus, ſi adulteris, ſi Sodomitis, ſi Veneficis & Magis, qui illum toties abnegauerunt, poteſt ignoſcere? Vt vna ſcintilla in totum Oceanum incidens, illico abſorbetur & extinguitur, ita in immenſum illud mare miſericordiæ, quidquid incidat peccati, abſorbetur. Cogita animo maximum peccatorem, cogita fandos, infandos, idolôlatras, atheos, dæmoni mancipatos, cogita totum cumulum peccatorum, quæ à ſæculo commiſſa ſunt, per omnes homines impios, per omnes dæmones & damnatos in inferno; ſi ea omnia ſcelera vnus homo feciſſet, tamen nihil eſſent ad infinitam Dei miſericordiam comparata; longè illa adhuc maior eſt; parata eſt ignoſcere, ſi velint ad eam confugere peccatores; patienter

IMMENSA DEI MISERICORDIA. 1. Tim. 2. 4.

Mich. 7. 19. expectat pœnitentiam eorum, cupiens *proji-cere in profundum maris omnia peccata no-ſtra*, eſt enim, vt dixi, quidquid vbique pec-cati admiſſum eſt ab omnibus, inſtar ſcin-tillæ in pelagus cadentis, ſi cum miſericor-dia Dei conferatur vndequaque infinita, quæ meritò *profundum maris* appellatur. Eſt enim immenſa profunditas miſericor-diæ diuinæ. Venit etiam peccator in pro-fundum, & numquam venit ad terminum malitiæ, dum viuit, poteſt enim ſemper profundiùs deſcendere: vnde ait: *Infixus* Pſal. 68. 3. *ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me.* Sed quocumque deſcenderit, & vnde-cumque orauerit: *De profundis clamaui ad te, Domine;* ſemper adhuc profundior eſt miſericordia diuina, quæ fundum non ha-bet; nequit exhauriri.

IMMENSA MISERI-CORDIA ALLICI HOMINES AD POE-NITENTI-AM.

Quàm inexcuſabiles igitur erunt, qui hanc tantam Deiparæ, immò qui infinitam Dei miſericordiam audiunt, credunt, & tamen negligunt, aut adhuc deſperant? Nonnè illis dici poterit: *Perditio tua Iſraël?* Nonnè iſti digni ſunt mille gehennis? qui Oſee. 13. 9. non jam de tot peccatis, quotquot vm-quam commiſſa ſunt, conſcij, ſed ob fur-

tum

tum, ob rem alienam à ſe poſſeſſam, ob inimicum vnicum vindicandum, ob conſuetudinem fornicandi, aut potandi, aut otiandi, cogitationem omnem ſalutis deponunt; & de miſericordia Dei deſperant. At vidit hoc ab æterno prouidum Numen? & tamen eos creauit, pro illis homo fieri, illis Matrem dare miſericordiæ, denique pro ipſis in crucem tolli voluit. Et nondum nos mollit tanta pietas? tam immenſa bonitas? Ampliùs progreſſa eſt. Poſtquam vidit, nos hæc omnia contempturos, adhuc benefecit, adhuc alia remedia exitijs noſtris excogitauit: vt etiam ſic adhuc lapſi ſurgere poſſemus. Nam SS. Sacramenta inſtituit, per quæ nobis vim ſanguinis applicaret. Vultis videre infinitam patientiam, & immenſam bonitatem? Vidit plurimos etiam hæc contempturos, calcaturos, adhibituros ad occaſionem illum offendendi, & non ſubtraxit: nec adhuc ſubtrahit; quamuis homines vſque adeò inſaniant, vt ipſa ſeſe medicina occidant; & illo gladio Deum perſequantur, quem à Deo contra ſuos, & Dei hoſtes acceperunt. Nonnè enim cauſſam haberet, vt diuina à ſe inſtituta ſacramenta è medio

amoueret, quibus homines ſacrilegè abutuntur? At tam immensè bonus eſt, vt ſacramentum pœnitentiæ adhuc ei offerat in ſalutem, qui centies ſacrilegè confeſſus eſt; vt dum ſaltem in vltima confeſſione ſeriò retractat ſacrilegas ſuas confeſſiones, veniam miſericordiamque conſequatur.

X. SACRAMENTORVM ABVSVS.

Incredibilia videor dixiſſe; ſed oſtendam eſſe veriſſima. 1. Cùm omne ſacramentum ſit ſignum viſibile practicum rei inuiſibilis, ſeu gratiæ, quam confert, id quod ad gratiam conferendam eſt inſtitutum, adhibent ad gratiam deſtruendam, quoties per baptiſmum, per chriſma, per mille ſacramenta temerè, impiè, iactanter blaſphemant; illi nimirum, qui Redemptori ſuo ipsum ſanguinem & vulnera exprobrant. 2. Baptiſmum non ſolùm in ſui condemnationem accipiunt, qui minimè Chriſtianè viuunt; ſed ſunt, qui infantes aut omnino priuent baptiſmo, aut in ipſius quoque cacodæmonis nomine baptizent. 3. Confirmationem nec quid ſit quidem ſciunt multi; aut nimium differunt. 4. Eò progreſſa eſt ignorantia, vt extrema vnctio, quæ non ſolùm animam roborat ad extremum agonem, ſed ſæpe etiam, vt

D. Ia-

D. Iacobus ait, infirmum alleuiat, vulgò exiſtimetur homines occidere. Idcirco enim horretur, quia putant, eum, qui vngitur, vel idcirco moriturum: quaſi mors ab oleo, & non à morbo veniat. 5. Sacerdotium, quàm res ſancta & diuina, quàm angelis propinqua? quanti autem eo ſacerdotio abutuntur, vt nemo magis vacet otio, ebrietati, impuritati, ſcandalis? Quantis Simonijs ſacerdotia, & toti Epiſcopatus venduntur, emuntur? Sed ferè tanta hîc ſunt vt, præſtet tacere. 6. Tacebo matrimonia falsò promiſſa: adulterijs violata, viuis coniugibus cum duobus, tribus, pluribus inita. 7. De Confeſſione non eſt tacendum; ea pœnitentes vti poſſunt, tamquam ſecunda poſt naufragium tabula. At quàm multi grauiſſima peccata tunc tacent? quàm multi numerum, & ſpeciem non exprimunt? Ah pudet dicere! Aliqui confitentur ſacrilegè, vt Confeſſario placeant, vt per eum commendentur, ac promoueantur? Poteſt Confeſſarius dare teſtimonium Confeſſionis factæ: at qui teſtimonium ab eo aut commendationem petit, quàm ſtultus eſt, ſi id petat, de moribus & pietate? Non poteſt enim Con-

feſſarius eum, cuius confeſſionem audiuit, ex hac ſcientia reprehendere, debet ergo neceſſariò vel nullum dare teſtimonium; vel eum commendare. Suſpectum itaque haberi poteſt tale teſtimonium. Et nec ipſe Confeſſarius beneagit, ſi tali ex cauſſa confitentem ad matrimonia, vel alia officia ſplendida promouet. Multoq; minus credendum eſt illis pœnitentibus, qui ſe jactitant, leuem pœnitentiam à Confeſſario iniunctam accepiſſe, quaſi leuem dumtaxat meruiſſent; cùm conſtet eos impuriſſimos eſſe, ac flagellis, cilicijs, grauiſſimis pœnitentijs dignos eſſe.

XI. SS Evcharistiae abvsvs.

Quid quod 8. Ipſa SS. Euchariſtia, res, omnium ſanctiſſima, mille modis violetur, inhonoretur, contemnatur? Nam eius cultum alij omnino negant; alij non æſtimant; alij peruertunt, atque in ignominiam mutant. Inſtituta eſt in memoriam paſſionis Domini, vt inde diuinam bonitatem memoria recolentes, in amore eius creſcamus, & ad gratiarum actionem accendamur, dixit enim: *Hoc facite in meam commemorationem. Quotieſcumq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Atqui multi non in

1 Cor. 11. 26.

memo-

memoriam, ſed in iniuriam Domini id faciunt, Chriſtumq́; ſibi, quaſi de nouo crucifigunt. *Quicumque*, ait Apoſtolus, *manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* Quot enim, præſertim hoc Paſchali tempore, communicant ſacrilegè confeſſi: habentes affectum occultum odij, ſcortationis, rei alienæ retinendæ? Quare ſicut in Iudam poſt buccellam acceptam, intrauit Satanas; ita in tales, dum intrat in os Chriſtus, intrat Chriſtum illico expulſurus diabolus. Quid prodeſt in ore Chriſtus, ſi ſit in corde diabolus? Nam hunc ibi eſſe, inde apparet, quia *ex abundantia cordis os loquitur*; & ex oris halitu intelligitur, quid homo ederit biberitúe. Quid enim de illo ſentitis, qui, vt aliàs dixi, SS. Euchariſtia vix in templo ſumpta, domum rediens, quaſi pœniteret eum ad ſacram menſam acceſſiſſe; illico perquam ſanè iactanter ait: Quàm pulchra mecum hodie femina ſynaxin ſumpſit; non potui eius formam contemnere &c. Dauid Deo plenus dicebat: *Eructauit cor meum Verbum bonum*: quid de iſtis dicemus, qui talia verba eructant? qua ſpurcitie erunt pleni?

Ibid. v. 27.

Pſal. 44.

Quis

Quis credat, talem linguam fuiſſe ſanguine Chriſti irrigatam? In ore gerunt Redemptorem, corde præferunt meretricem, quam oculis intuentur. Hinc eò proceditur, vt tandem ſacroſancta hoſtia ex ore exempta, vel Iudæis vendatur, conuulneranda, vel ſuræ inſuatur, aut veneficorum artificio vertatur in vnguentum ſagarum, maximis ſpurcitijs inquinata.

XII. INFINITA DEI AD IGNOSCENDVM CLEMENTIA, QVA BONI VTVNTVR, MALI ABVTVNTVR.

Videtis extremam hominum malitiam? populatione, cædibus, bellis, immo Inferno dignam? & ſi fieri poſſet, meritam, vt mille Inferni inter ſe necterentur. Hanc omnem malitiam Deus ab æterno præuidit, & tamen adeò infinita eſt eius bonitas & miſericordia, vt quaſi non videret, hominem nihilominus conderet, ei hæc ipſa ſacramenta offerret, quæ illi, etiam poſt hæc omnia enarrata, in remedium ſalutis eſſent. Nimirum adeò eſt clemens, vt cùm voluerit homines ſibi inuicem in die, non ſolùm vſque ſepties, ſed etiam vſque *ſeptuagies ſepties*, hoc eſt, ſine numero & fine, ignoſcere, multò id ipſe vellet magis præſtare, *vt nos ad pœnitentiam adducat*. Inter homines nihil eſt difficilius, quàm vel leuem iniuriam lædenti ignoſcere: opus autem

Matth. 18. 22.

Rom. 2. 4.

tem

tem hoc Dei eſt, vt grauiſſima ignoſcat, & citò, & facilè: *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſsimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ ſunt. Parcis autem omnibus* (etiam qui in Inferno citra condignum puniuntur) *Quoniam tua ſunt, Domine, qui amas animas.* Hæc malos faciunt peiores, dum cogitant: Si ita eſt, pergam peccare, quia habemus miſericordem Dominum, & ſic in miſericordiam offendunt, quia cæci ſunt, & de ſpinis vuas volunt colligere: eos autem, qui norunt æſtimare virtutem, à peccato potenter abducunt dicentes, Indignum eſſe, vt tanta bonitas offendatur, quæ vtiq; amanda eſt, quia amabilis eſt, & non ſine incredibili iniuria læditur. Quare in lachrymas prorumpunt, & pœnitentiam agunt. Multoq; id magis animat pios. Quiſquis enim Petrum peccatorem tam deſperatum videt, pro vno Roſario recitato, Mariæ auxilium tam citò, immò veniam ab ipſo Chriſto obtinuiſſe; cogitat ſe, tot operibus bonis, in Congregatione, vel alibi, oblatis, non ſolum ſpem veniæ, ſed etiam æterna præmia conſecuturum. Quare & opera egregiè ardenterque exercet, & ſi in Sodalitate ad- Sap 11.24.

huc nulla eſt, cum Petro, propria ſe in aliquam manu inſcribit; æſtimatque reuera magni, quod non flocci faciunt niſi deſperati.

# CAPVT VI.

## IN IVVENE CHIROGRAPHVM SVVM A MALO GENIO RECIPIENTE DOCETVR, NVLLVM ESSE TANTVM PECCATOREM, QVEM IMMENSA DEI POTENTIA NON POSSIT IN GRATIAM RECIPERE, SI VELIT AGERE POENITENTIAM.

I. Miſericordiam et potentiam Dei credendam eſſe poenitenti. 1. Reg. 22. 5.

DAvid rex peccantis pariter, & pœnitentis fuit exemplum, vt, ob ipſam dignitatis eminentiam, tantò conſpectius eſſet, quidquid de eo legeretur, tantoque libentiùs, qui eum peccantem ſunt ſecuti, etiam pœnitentem ſequerentur. Ad pœnitentiam autem eum multa pertraxerunt, nimirum Gad Propheta, conſcientia & fœditas peccati, minæ & juſtitia Domini; ſed inprimis diuina bonitas, poteſtas, & clementia, quæ eum in ſpem veniæ erexit. Hinc cùm per pœnitentiam

tentiam volens ſe Deo ſubmittere, dixit: *Nonnè Deo ſubiecta erit anima mea?* tandem velut cauſſam eius ſubiectionis adiecit: *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi, Domine, miſericordia.* Hæc duo per fidem Deus loquitur in anima peccatoris, ad viam reducendi; ſcilicet adeò Deum eſſe miſericordem, vt velit *omnes homines ſaluos fieri*, neque vllum adeò eſſe ſceleratum, quem non velit in viam reducere ſalutis. Quod ſuprà docuimus. Supereſt alia tentatoris machina, qua hominem ad deſperationem impellit, vt ei ſuggerat, eò res illius veniſſe, ſiue ob inueteratam conſuetudinem, ſiue ob enormitatem & multitudinem ſcelerum, quæ ſuperat multitudinem arenæ maris, vt DEVS ei ampliùs non poſſit ignoſcere. Nam & hoc ſignificauit Cain dicens: *maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Et perinde eſt, ſiue miſericordia Deo, ſiue poteſtas negetur: vtraque eſt enim in ſe æqualis, & infinita. Et video non ſolùm quoſdam grauiſſimos peccatores in eam hæreſin delabi, vt putent, credantque, Deum non poſſe nimis profundè lapſos educere de lacu miſeriæ; ſed etiam quoſdam pios, &

Pſal 61. 1.
Ibid. v. 12.
Gen. 4. 13.

qui Dei potentiam infinitam profitentur, viros in ea opinione eſſe, vt ſaltem nobis de quibuſdam generibus peccatorum ſit deſperandum, eoſque in ſuis ſordibus relinquendos, ne oleum & opera perdatur. Ad hos quoque errore liberandos accipite exemplum, è quo, potentia diuinâ manifeſtè intellecta, ad eiuſdem Dei clementiam re-
Pſal. 50. 1. currere, & quotidie dicere diſcatis: *Miſerere mei, Deus*. Numquam enim hoc dicet, qui putauerit, fruſtra dici, Deumque non poſſe juuare quoſdam peccatores.

II. S. Antoninus Arciepiſcopus Florentinus, in parte 2. chronicorum, atq; ante eum alij teſtantur, eximiæ eruditionis, ſanctitatis, & authoritatis Epiſcopum fuiſſe D. Baſilium. Cui etiam multum opinionis addidit, quod ſequitur Factum. Circa Anno Domini 370. imperante Valente, Cæſareæ in Cappadocia, Proterius quidam erat, homo locuples, & prouecta ætate; qui, quia viribus defectus videbat, ſe orationi, & templis vacare ampliùs non poſſe, vnicam prolem ſeruitijs diuinis deſtinabat. Erat enim illi filia eximiæ venuſtatis, quam vnà cum opibus ſtatuerat Deo conſecrare. Neque illa aliud cupiebat, iam ſpe plena, quòd mundi

S. Antonin p. 2. Chron. c. 4. § 3. ex Vinc. c. 79 & de S. Baſilio ſcripſerunt Nazianzen. Nyſſen. Hieron. Suidas, Philoſterg. Theodoret. Amphilochius, &c.

mundi diuitias cum Chriſti theſauris, terram cum cælo, turbelas mentis cum ſereniſſima tranquillitate commutauiſſet. O quàm incertæ ſunt mortalium cogitationes? Quàm fideliter ille monuit? *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam?* Quot, quantique homines iam animo habitant apud Deum; & velut Angelus ille, qui *poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram*, dum corpore ſunt in procelloſo hoc mari, mente in cælo degunt; tamen conſilia ſua retractant; & coronam ſuam amittunt: aut certè Numini cauſſam dant, vt eos ſinat reſpicere retro, poſtquam manum ſuam jam ad crucis aratrum applicauerunt?

VIRGINIS CONSILIVM.

Apoc. 3. 12.

Apoc. 10. 2.

III. SERVI AMOR.

Neque tentator deeſt, qui ſemper excubat in exitium noſtrum, & conſilia coquit, ad pias hominum voluntates euertendas. Siue igitur puella illa indiligentiùs ſe cuſtodiens, ſiue malus Genius virtuti eius inuidens, ſiue aliud quid in cauſſa fuerit, magnam Virgo incidit in tentationem. Erat in eadem familia ſeruulus quiſpiam, qui oculos licentiùs in illam mittens cœpit oris in ea atque ſermonis gratiam obſeruare. Et flammam traxit, quaſi qui ſtipulam igni ad-

mouiſſet. Cœpit igitur illius amoribus caleſcere, ardere, conſumi. Nullam ille omiſit occaſionem Virginis aſpiciendæ, enimuerò etiam, per cauſſam quamcumque compellandæ. Illi, vbicumque poterat, officia ſua deferebat: illi honorem quà vultu, quà geſtu exhibebat: illi munuſcula vel furto aliunde ſubducta donabat; vt proinde puellæ nimia honoris obſeruatio ſuſpecta videretur, & dexterè declinanda. Quid enim ingenua in homine ſeruo; quid opulenta in pauperculo; quid caſta in impuro proco, & Dei ſponſa in mancipio amaret? Itaque, quantùm ambiebatur, tantùm ipſa à lenocinante abhorrebat. In ſeruo autem contrarium eueniebat. Nam quò vidit illam magis refugere, eò ille magis negata cupiebat, incendium in dies augente Orco. In eo ſitis vehementiùs accenditur, cui æſtuanti potus negatur; ita *ſpes, quæ differtur, affligit animã.* Indomita beſtia eſt amor, neque ſe carceribus ſinit cohiberi, neque habena rationis refrænari: & vbi humanis deſtituitur auxilijs; vel Tartareos quærit auxiliatores.

Prou. 13. 12.

IV. PACTVM MAGICVM.

Quamobrem cùm hominis & dæmonis mancipium videret, ſe actum agere, more multo-

multorum præ amore inſanientium, inquiſiuit vbique de philtro puellæ dando, vel arte quacumque illam incendendi. Audijt ab aliquo, eſſe non procul, qui ipſos poſſet dæmones adiurare, eiſque mandata dare, atque ab illis quiduis impetrare. Hunc adijt, eiuſque opem flagitauit, pacto pretio. Tunc incantator aſſidens in Muſæo, arreptoque calamo epiſtolam ad Stygium principem exarauit; eamque ſeruo tradidit, juſſo, nocturno tempore, exire extra mœnia ciuitatis, atque ſuper monumentum Ethnici cuiuſdam ſtare, epiſtolamque extenta manu ſurſum in aërem eleuare, ac tradere ſpectro ad eum locum venturo. Mirabilis hominum eſt cæcitas, centies audiunt documenta ſalutis, & vix ſemel tandem parent. Aſt vbi artes ſuperſtitioſæ, magicæ, Tartareæ ſuggeruntur, illico obediunt. Facta igitur nocte, extra vrbem proceſſit ſeruus, & epiſtolam, audax tabellio, tumulo nominato inſiſtens, malo Genio porrexit; qui illico adfuit, litteras aperuit, & legit. Eis perlectis, ſeruum in hunc modum eſt allocutus: Intelligo, cur ad me veneris: auxilium à me petis, & vis, vt faciam te quoque à puella

amari, ſicut tu illam deperis. At, ſi opem à me flagitas, credis eam tibi à me poſſe præſtari? Credo, inquit ille. Tum rurſus veterator, Credis ergo, me eſſe Deum tuum? Credo, ait ille. Abrenuntias Chriſto? Abrenuntio Chriſto. Abrenuntias Matri eius? Abrenuntio. Abrenuntias omnibus Sanctis? Abrenuntio omnibus Sanctis. Abrenuntias omnibus Eccleſiæ Sacramentis? Abrenuntio omnibus Eccleſiæ Sacramentis. Execraris ergo Deum, & omnia diuina? Execror omnia diuina cum Deo, inquit. Et hoc propter vnius puellæ amorem. Vſque adeò indomita libido abducit homines longè à cælo. Hæc poſtquam à ſeruo obtinuit cacodæmon, voluit ſibi cautionem præſtari; ita ergo eum eſt allocutus, Perfidi eſtis vos Chriſtiani, qui quando mea opera egetis, ad me venitis, mihi vos, & animam veſtram obligatis; poſtquam autem voto veſtro potiti eſtis, atque deſideria veſtra expleuiſtis, ad Chriſtum veſtrum reuertimini; benignè vos ille recipit. Si igitur vis, vt petitioni tuæ annuam, neceſſe eſt chirographo rem firmari: in quo volo, vt voluntarium abnegati Chriſti, & baptiſmi, & totius huius profeſſio-

nis

nis negotium clarè exprimas. Hac enim charta mihi opus erit, in die Iudicij. O quanta eſt mortalium cæcitas! cùm Deus aliquid à nobis exigit, etſi exiguum ſit (ipſo dicente, *iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*, & alio; *mandata eius grauia non ſunt*) quas non inueniunt excuſationes, tergiuerſationes, querelas? aſt quando Acheronticus tyrannus aliquid mandat, licet contra rationis normam, contra naturæ leges, vt homicidia, veneficia, idololatrias, ibi nulla eſt difficultas, dummodo obtineatur, quod petitur, quiduis viciſſim illi promittitur. Itaque ſeruus Proterij, vt etiam diaboli ſeruus fieret, proprio ſanguine, nomen, profeſſionemque ſuam in chartam conſignatam capitali humani generis hoſti tradidit, ex hominis ſeruo, ſeruus diaboli, ex Chriſtiano magus factus.

Matth. 11 30.
1. Ioan. 5 5.

V. DAEMONIS INPVELLAM POTESTAS.

Hîc iam diſcite, arcana Dei iudicia timere, quæ ſæpe etſi mira ſunt, ſemper tamen ſunt iuſtiſſima. Nullum de Proterij filia vitium, in hiſtoria, magnæ virtutes indicantur. Erat bene educata: habebat pium parentem, volebat Chriſto æternam conſecrare virginitatem; & tamen à Deo poteſtati diaboli traditur. Quippe Spiritus

fornicationis, pleno agmine ex Auerno citati, & à principe dæmoniorum in puellam immiſſi ſunt. Cœpit igitur illico puella iam alias in corde verſare cogitationes; ſeruum non fugere, ſed quærere, cum eo colloquia miſcere, atque ita tota in eum exardeſcere, vt diſſimulatione omni poſita, haud ſecus ac Spiritu damnato inſeſſa, coram patre, ſe in terram proijcere, & furere cogeretur. Miſertus eſt gnatæ pater; neque filia ambagibus vſa eſt; ſed elata voce clamauit: Miſereat te mei, ſum enim in tormento, quia vror, & ardeo; non poſſum hanc ampliùs pati flammam: vel iunge me ſeruulo iſti in matrimonium, vel morior. Expalluit pater, & rogauit, etiam atque etiam, ne à priſtino mentis propoſito reſiliret: præſtare vtique Chriſti Domini, quàm ſerui mancipijque eſſe ſponſam. Surdæ canebatur; ſeruum volebat. Poſtquam autem vidit parens, fruſtra ſe eſſe, nuptias diſſuaderi non poſſe, ſaltem id conatus eſt efficere, vt animum appelleret ad nuptias honeſtiores. Sed ſaxo loquebatur. Nullum illa alium audire, nullum alium ſe velle, quàm ſeruum, clamitabat. Quid faceret miſer? Conſultius iudicabat,

filiam ſeruo, quàm morti tradere. Itaque conſentit in nuptias, quamuis animo multùm reluctante. Apparantur nuptiæ, &, obſtupeſcente tota ciuitate, celebrantur.

Nemo diaboli ope nitatur, qui vult felicem negotiorum ſuorum exitum; non cupit ille hominibus bene eſſe. Quocirca & puellæ illi non diu benè fuit. Multa in eius marito deprehendebantur, quæ ſuſpicionem ciebant. Inter quæ etiam fuit, quòd numquam videretur accedere ad ſacram ſynaxin; immo quòd ſollennia officia, conciones, aliaque quæ in templo ad diuinum cultum inſtituebantur, apertè declinaret. Fuerunt igitur, qui ad coniugem eius accederent, dicerentque: Noſtiné qualem nacta ſis maritum? nempe hominem minimè Chriſtianum. Neque enim quidquam facit, quod Chriſtianum decet. Dum alij in templo orant, aut domi dormit, aut foris ludit, aut alicubi bibit: quod facere ſolent non niſi impietate abſorpti, ac diuina nihili facientes. Hoc vbi audiuit noua nupta, Deo impensè addicta, tum ſenſit, quàm citò mundi gaudia in luctum conuerterentur. Siquidem dolore & pœnitudine plena, velut fulmine tacta in terram cecidit, cœpitque

VI. PVELLA QVALIS SIT NVPTA MARITO INTELLIGIT.

que pectus palmis tundere, comas dilacerare, genas vnguibus fœdare, facereque omnia, quæ Mænades ſolent, cùm inſaniunt; repetito identidem clamore, *Heu cur nata ſum?* Aduolauit ad hunc vlulatum etiam maritus, qui, intellecta queſtus cauſſa, diu contentè negauit, id quod reuera erat, dictitans magnam eſſe hominum inuidiam, qui in recentia matrimonia libenter ſoleant diſcordias inſeminare. Verùm puella, tum ſe verbis eius credituram reſpondit, ſi facta dictis competerent. Atque vt fides conſtaret, cras, inquiebat, mecum in templum venito, meque inſpectante, ad ſacrum ſacerdotis tribunal, atque inde ad diuina myſteria ſumenda accedito. Tunc enim verò oculis plus credam, quàm auribus. Hac condicione adactus, tandem, quod res erat, faſſus eſt, totamque rei ſeriem retexuit, pactumque cum Orco initum illi patefecit.

VII. Devm, angelos bonos, immo et bonos homines, diabolo

Morbo mariti percepto, innocens puella illico cucurrit ad verum medicum S. Baſilium Epiſcopum, eique omnem rerum geſtarum ordinem recenſuit. Is maritum juſſit accerſiri, qui cum lachrymis illi omnia confeſſus eſt, nec quidquam negauit.

Cui

*Cui ſanctus: Vis reuerti ad Deum? Et ille. Volo, ſed non valeo, quia ſcripto abrenuntiaui Christo, & profeßionem feci diabolo.* Hæc eſt cauſſa, ob quam multi de ſua ſalute deſperant, putant enim, ſe non poſſe ampliùs à diabolo recedere. Cur? an quia peccata illorum ſunt nimis multa & magna? At longè maior eſt miſericordia Dei, quia infinita; & fuit, qui diceret: *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum.* De qua miſericordia dixi ſatis, in priore exemplo. Supereſt ergo altera cauſſa dicentium, *Volo, ſed non valeo.* At cur non vales? *quia ſcripto* (vel facto) *abrenuntiaui Christo, & profeßionem feci diabolo.* Quid igitur? vter eſt potentior? vides Fidei defectum? Si crederes Chriſtum eſſe Deum, vtique crederes eſſe diabolo potentiorem. Nam quis alterum fecit? Deus Angelum, an Angelus Deum? Si ergo Deum Angelus non fecit, ſed ab eo factus eſt, poteſt ab eodem in totum deſtrui. Accedit, quòd & vim omnem à Deo acceperit, poteſt ergo eamdem Deus vel auferre, vel religare. Quid quòd omnes diaboli angelos Michaël vicit, & in infernum deiecit? An non *Raphaël*

ESSE LONGE POTENTIORES.

Pſal. 50. 3.

Tob. 8. 5.

*Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti?* An non Apoc. 20. b Ioannes vidit *Angelum deſcendentem de cælo, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua? Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille: & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni.* Quid de Angelis dicam? de hominibus dicitur: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient,* è corporibus & animabus. Quare etiam ad miſerum hunc dixit: Ne deſperaret; benignum eſſe Deum, & fortem, & omnipotentem, cui nullæ omnium bonorum quoque æquè à malorum Angelorum vires poſſint comparari. Ita vbi miſer credere pariterque ſperare cœpit, pœnitentem crucis ſigno facto abſoluit, & pœnitentiæ cauſſa, per tres dies concluſit.

VIII. D. BASILII CONTRA DIABOLVM VICTORIA.

Nemo putet, peccatori confeſſo nihil eſſe laborandum. Adhuc multæ radices, multæ malæ conſuetudines reſident in animo pœnitentis. Quin & cacodæmon non ſtatim penitus cohibetur, ſed permittitur tentare pœnitentem; vt conſtantia eius probetur.

betur. Quare cùm, tertio die tranſacto in ieiunijs, D. Baſilius ad incluſum ſuum reuerteretur, ſalute data, interrogauit: Quomodo haberet? Cui ille: *Sancte Dei, non fero clamores dæmonum, terrores & lapidationes, tenentium in manu ſcripta mea, & dicentium: Tu veniſti ad nos, non nos ad te.* Ad hæc Baſilius. Pugna, fili, inquiebat, & in Deum crede, neque metue belluam iſtam: pandere rictus, non mordere; minitari, non ferire poteſt. Clamando nihil nocebit; neque terrendo proficiet, ſi tu terrores illius contemnas. Lapides oſtendit, ſed non permittitur proijcere eos. Scripta tua nihili facias, quæ ſeriò pœnitens retractaſti. Ita eum verbis ſolatus, & pauxillo cibo recreans, denuo ſigno crucis facto incluſit, ſuaque iuſſit crimina deplorare. Paucis elapſis diebus rediuit denuo, atque interrogauit, quo pacto iam viueret? Ille, ô Pater, aiebat, à longe iam audio minas eorum & clamores, ſed oculis eos non video ampliùs. Quoniam autem ſciebat Baſilius, quanti res ſit momenti ex vnguibus inferni draconis euadere, data ei eſca rurſus hominem quadraginta dies incluſit, vt pœnitentiam ageret. Quibus ex-

actis

actis reuerſus eſt, & quæſiuit, vt ſe iam haberet? Cui ille: *Bene, ſancte Dei. Vidi enim te hodie pugnantem pro me, & vincentem diabolum.* Mox igitur vir ſanctus conuocato in templum omni populo mandauit, vt pro miſero illo, ea nocte, preces ad Deum funderet. Poſtero die pœnitentem ſuum manu apprehenſum duxit in Eccleſiam. Sed non defuit tentator, qui & ipſe ſibi ante hac deuotum caput apprehenſum conabatur è manibus Baſilij eripere, idque adeò vehementer, vt in retrahendo miſero, ipſum Baſilium impelleret, cum quo etiam palàm diſputabat. Dicebat enim: In præiudicium meum hoc agis, Baſili, ego non veni ad eum; ille vltro venit ad me; ille vltro auxilium à me poſtulauit; ille ſua ſe mihi manu donauit; en chirographum illius, quod ego ad iudicium fero. Audiebat hanc vocem populus, & exclamabat: *Kyrie eleiſon.* Baſilius verò dicebat: *Benedictus Deus. Non deflectet populus iſte manum ab altitudine cæli, donec reddas chartulam manu ſcriptam.* Adhortatus ergo præſentes omnes, vt non deſiſterent ab oratione ad cælum mittenda, Baſilius, non antè ceſſauit, quàm ſchediaſma per aërem delatum ab omnibus videretur

tur in manibus D. Baſilij deponi. S. Pater autem, poſtquam Deo gratias retulit, En, inquit, peccator, agnoſcis has litteras? illo dicente, agnoſcere ſe, nempe manu ſua ſcriptas, chartam diſrupit, maritumque ſuæ coniugi, adiecta rectè deinceps viuendi regula, tradidit, tota ciuitate Cæſarea gaudente, & potentiſſimam Dei clementiam prædicante.

Multa hinc poſſent trahi vtilia documenta, ac præſertim illud de charitate fraterna, qua vxor maritum, maritus vxorem, frater fratrem, ſoror ſororem, aut ſocius quicumque vel amicus ſocium vel amicum obligatus eſt ad Deum adducere; dum eum adducit ad Sacerdotem, & confeſſionem, ac pœnitentiam. Sed ego illud ſolum hîc vrgeo pœnitentiæ motiuum, quod à potentia Dei ſumitur. Ea enim non ſolùm eſt tanta, vt nullus ſit tam magnus rex, aut tyrannus, quem, ſi delinquat, plectere non poſſit; verùm etiam, vt nullus peccator tam ſit deſperatus, tam conſceleratus, tam Phlegethonti propinquus, vt eum non poſſit eripere è manibus inimici. Quod, vt credamus, perſuadet nobis facilè infinita eius potentia, ad faciendum quidquid

IX. POTENTIA DEI QVANTA?

 volue-

voluerit, ſine termino aut limite aliquo, ſiue numerum ſpectes, ſiue magnitudinem & perfectionem. Hinc nomen eſt illi, *Omnipotens*, cuius omnipotentia eò ſe extendit, vt facere poſſit res omnes, quas infinita ſua ſapientia videt eſſe poſſibiles, ſeu in quibus non ſit contradictio, ſi fiant; iuxta illud Ieremiæ: *Numquid mihi difficile erit omne verbum?* & Angeli: *Non erit impoßibile apud Deum omne verbum.* Hinc conſequens eſt 1. quòd Deus de nouo poſſit facere infinities plures res, quàm fecerit; quia totum, quod factum eſt, quaſi nihil eſt, ſi cum eo, quod facere poteſt, conferatur. Qua de cauſſa ait Eccleſiaſticus: *Multa abſcondita ſunt maiora his; pauca enim vidimus operum eius.* Etſi ergo mirabilis eſt Deus in ijs, quæ fecit, longè tamen mirabilior eſt in ijs, quæ faceee poteſt; nec vlla cogitatio potentiam eius poteſt aſſequi. 2. Quòd poſſit Deus facere quidquid voluerit in rebus, quas iam fecit, mutans illas & tranſmutans pro libitu ſuo. Quia teſte ſapiente, *ipſe eſt omnipotens ſuper omnia opera ſua.* Sic fecit non tantùm vt ſol curreret per cælum, ſed etiam vt ad Ioſue imperium ſubſiſteret, & tempore Ezechiæ retrocederet; itemque, vt,

Exod. 15. 3.
Ierem. 32. 27.
Luc. 1. 37.
Eccli. 42. 36.
S. Thom. 1. part. q. 105. a. 6.
Eccli. 43. 30.

vt, tempore Paſſionis, lumen ſuum mundo negaret. Ita & in aëre, in aquis, in terris mirabilia facit. 3. Quòd poſſit omnipotentia Dei exequi, quidquid eius voluntas poteſt velle, nam ſi Deus aliquid efficaciter vellet, quod efficere non poſſet, eſſet miſerabilis, & non Deus. Quare ſicut *omnia, quæcumq; voluit Deus, fecit*, ita facere poteſt quæcumque voluerit. *Subeſt enim tibi, cùm volueris, poſſe*, ait ſapiens. Nefas eſt igitur de omnipotentia dubitare ei, cui de voluntate Dei conſtat; & ſi non conſtat, dicendum eſt: *Domine, ſi vis, potes.* Conſtat autem, Deum nolle mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Non eſt igitur dubitandum, eum poſſe quemcumque peccatorem educere è lacu miſeriæ ſuæ.

Pſal. 113. 11.
Sap. 12. 18.
Matth. 8. 2.

X. POTENTIA DEI ETIAM HOMINIBVS COMMVNICATA.

Hæc potentia Dei eſt talis, vt illi à ſe & natura ſua competat, neque alterius ope indigeat. Ex bonitate tamen ſua creaturas quoque participes facit eiuſdem potentiæ, ita vt vnaquæque facere poſſit, quæcumque ſuæ naturæ propriæ conueniunt. Hominibus autem & Angelis aliam quamdam altiorem excellentioremque potentiam addit, quàm habeant per naturam ſuam, dum

illos adhibet vt inſtrumenta & coadiuto-
res, ad res multas ipſius omnipotentiæ pro-
Phil. 4. 13. prias, teſte Apoſtolo, qui ait: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Ad omnipotentiam pertinet peccata dimittere, vnde cùm Chri-
Matth. 9. 2. ſtus Paralytico dixiſſet; *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat;* quia eum non crediderunt eſſe Deum. Hanc ſummam poteſtatem iniuriæ diuinæ remittendæ, meritò Deus ſibi reſeruaſſet; aut ſolis angelis dediſſet, aut vni Pontifici Romæ conceſſiſſet. Et fuiſſet adhuc magna gratia, ſi ſpe veniæ obtinendæ omnes peccatores Romam vſque excurrere debuiſſent; at tanta eſt clementia Iudicis ſummi, vt Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis, & ſacerdotibus dederit auctoritatem ac poteſtatem remittendi ac retinendi peccata:
Matth. 16. 19. Ad Petrum dixit: *Tibi dabo claues regni cælorum; & quodcumq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Deinde
Matth. 18. 18. omnibus Apoſtolis: *Amen dico vobis, quæcumq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo,* rurſumque: *Accipite*

*pite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Abſit*, inquit S. Hieronymus, *vt de his quidquam ſiniſtri loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos & nos Chriſtiani ſumus, qui claues regni cælorum habentes, quodammodo ante diem judicij judicant.* Hanc poteſtatem etiam D. Hilarius, D. Chryſoſtomus, D. Auguſtinus & alij SS. PP. profeſſi ſunt; hanc Deus, in ſuprà memorato exemplo, poteſtatem D. Baſilio datam fuiſſe demonſtrauit.

Ioan. 20. 22. S. Hieronym. ep. 2. ad Heliodor. S. Hilar. in Matth. can. 18. S. Chryſ. l. 3. de ſacerdot. S. Aug. lib. de vera & falſa pœnit. cap. 10.

XI. HANC CONFESSARII POTENTIAM NON ESSE NEGLIGENDAM.

Jam ergo adeſte, ô peccatores, & dicite mihi, quid reſpondebitis Chriſto, vos damnaturo? nonnè veſtra negligentia peritis? Peccaſtis? peccatis ſæpe? peccaſtis enormiter? nec ſæpius, nec grauiùs potuiſtis peccare, quàm Deus potuerit & poſſit ignoſcere. Hanc poteſtatem dedit, non Angelo, non vni apud Indos quærendo, ſed Parocho, ſed Paſtori, ſed Confeſſario veſtro. *Qui confiteri vult peccata*, ait S. Auguſtinus, *vt inueniat gratiam, quærat ſacerdotem ſcientem ligare & ſoluere; ne cùm negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo, qui eum miſericorditer monet.* Puella ſupradicta, maritum

S. Aug. loc. cit.

ſuum ad S. Baſilium Epiſcopum, virum eruditum adduxit, non vt agunt, qui aiunt, ſe adituros ſurdum, ſimplicem, ſenem ſomnolentum, qui nihil audiat, aut intelligat; aut etiam juriſdictione careat. Magus ille, poſtquam agnouit ſe Deum offendiſſe, voluit Deum confitendo palàm glorificare. *Numquid enim & hoc non pertinet ad laudem Dei,* ait S. Auguſtinus, *quando confiteris peccata tua? immò verò maximè pertinet ad laudem DEI. Quare maximè pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? quia tantò amplius laudatur medicus, quanto plus deſperabatur ægrotus. Confitere itaque peccata tua, quo magis deſperabas de te, propter iniquitates tuas. Tantò enim maior laus eſt ignoſcentis, quantò maior exaggeratio eſt peccata confitentis.* O quam multi ſalutem ſuam negligunt, dum negligunt confeſſionem? dum Deum auſi ſunt offendere, & diabolo obſiſtente, non audent placare? Magi, venefici, qui Deum & omnes cælites abiurauerunt, confitentur & veniam impetrant, atque è faucibus Orci eripiuntur: & aliqui ob exiguum lucrum iniuſtum, ob rem alienam domi retentam; ob conſuetudinem potandi, vel voluptatem carnis, de ſe, de ſalute ſua,

S. Aug. in Pſal. 94.

ſua, & quod peſſimum eſt, de Dei miſericordia ac potentia deſperant? Age, vnuſquiſque ſe ipſum excitet, & vel jam ſibi confeſſionem, non ſolùm apud Deum, ſed etiam, apud ſacerdotem faciendam proponat. *Nemo*, inquit S. Auguſtinus, *ſibi dicat: Occultè ago, apud Deum ago. Ergo ſine cauſſa dictum eſt: Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cælo? ergo ſine cauſſa ſunt claues datæ Eccleſiæ Dei? fruſtramus Euangelium, fruſtramus verba Chriſti.* Si quis eſt, quem vel locius, vel amor ſeduxit, vt pactum cum diabolo iniret, animet ſe, credat Deo, aperiat ſe Confeſſario aliquando. Non curet minas diaboli lapides intentantis. Videt in exemplo ſuperiori, nihil eum poſſe. Sæpe hoc genus hominum cogitat confiteri, ſed plerumque retrahitur, vel pudore, vel deſperatione. Indiget ergo Confeſſario, qui poſſit agere obſtetricem, & partum promouere. Dicat: Domine, ego etiam ſum talis, de quali locutus eſt Concionator. Ego etiam habeo aliquid negotij cum diabolo. Cetera curabit Confeſſarius, & liberabit eum à tyrannide tam graui. Non ſinamus noſtra negligentia Confeſſionis remedium interire. Quoties enim tales percuſſi, de-

S. Aug. hom. 49.

cepti, vel crudelibus modis à malo dæmone tractati cogitant, & optant iugum tam Acheronticum à ſe ſe excutere? ſed timent lapides, timent ne percutiantur à ſuo ſpiritu nigro: timent ne Confeſſarius non poſſit eos liberare. Audeant vel ſemel cor ſuum aperire; ſperent, immò credant Deum diabolo eſſe fortiorem, & experientur, diabolum nihil poſſe; quod minatur, minas eſſe; eumque velut catena vinctum teneri.

XII. NON TANTVM CONFITENDVM, SED RECTE CONFITENDVM ESSE.

Video in paucis hanc eſſe negligentiam, vt omnino confeſſione non vtantur: verùm, vt in alijs rebus pijs, quos diabolus non poteſt impedire, vt eas omittant, ſaltem conatur efficere, vt malè peragant. Confeſſio, ô peccator, non eſt, peccata tua narrare. Alioqui, qui in vino morantur, atque ebrij fœdiſſimá quæque ſibi mutuò narrant, confiterentur; & qui gloriantur in rebus peſſimis, vtque magni videantur, fingunt ſe feciſſe, quæ non fecerunt, eſſent inter pœnitentes numerandi. *Iudas ad remedium peruenire non potuit*, ait S. Ambroſius, *cùm diceret: Peccaui, quòd tradiderim ſanguinem iuſtum. Indiguus enim remedio fuit, quia non intimo mentis conuerſus ingemuit, nec ſedulò geßit pœnitentiam. Tanta enim pietatis*

S. Ambr. lib. 1. ep. 3. ad Simplicianũ.

*eſt*

*eſt Dominus IESVS, vt & ipſi donaret veniam, ſi Chriſti expectaſſet miſericordiam.* Ad confeſſionem pertinet, vt cum dolore & mœrore animæ inſtituatur, ſicut publicanus, qui pectus ſuum præ dolore percuſſit. A cuius exemplo longè abſunt, qui tam procaciter ſua flagitia narrant, ac ſi Confeſſarius ex ijs audiendis caperet voluptatem. Quin aliqui, dum ea confitentur, etiam ſubrident, quaſi de ijs non doleant, ſed gaudeant, & ſibi gratulentur. *Exomologeſis,* ait Tertullianus, *mandat animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit triſti tractatione mutare, ingemiſcere, lachrymari & mugire dies noctesq́; ad Dominum Deum tuum.* Hoc facilè facit, qui agnoſcit qualem quantumq́ue Dominum offenderit, quantum pœnæ promeruerit, quantumq́ue inſit in peccato mali, quod vt ſummum malum cupit poſthac vitare. Hoc autem, qui non cupit, non rectè, ſed ſacrilegè confitetur. Alij in contrarium malè ſunt verecundi. Etſi enim verecundam deceat eſſe confeſſionem, ne inhoneſta inhoneſtè dicantur, atque quia, vt S. Ambroſius ait: *Erubeſcere debemus & condemnare peccatum, non defendere: quoniam pudore culpa minuitur, de-*

Luc. 18. 13.

Tertull. lib. de pœnit.

S. Ambr. lib. de Cain & Abel. c. 7. Eccli. 4. 2.

 *fenſione*

*fenſione cumulatur, verùm eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* Erubeſce, quia peccaſti: ſed ne te pudor impediat à confeſsione. Cur enim erubeſcis coram homine dicere, quod non erubuiſti coram Deo facere? Qui in naui vnum foramen relinquit apertum, totam nauim mergit, etſi mille alia obſtruxerit. Vnum lethale vulnus chirurgo non aperire, ſatis eſt ad mortem. Sic etſi cetera omnia dicas peccata, nihil tibi prodeſt tua confeſsio, quia vnum tegis; & plerumque non eſt minimum. At longè ſatius eſſet, coram vno homine mortali, peccatore, qui nihil audet reuelare, erubeſcere nunc, quàm in judicio olim Vniuerſali, coram toto mundo. Verè pœnitens, non ſolùm non ridet, ſed flet, & ſe inſtar Dauidis, inſtar Magdalenæ, palàm accuſat, & in ruborem dat. Quamquam non debent peccata ita recenſeri, vt ipſe quoque Confeſſarius cogatur erubeſcere. Quid opus eſt narratione longa? quid rerum turpium deſcriptione, vt ipſe quoque Confeſſarius, putet ſe coram eſſe, & omnia intueri? Si non ficti eiuſcemodi pœnitentes tali narratiuncula cupiunt Confeſſarium contaminare, ſaltem

ſaltem Satan ea mente depingit illecebras, vt eum ineſcet. Non erubeſcit ſuâ culpâ accuſatâ, qui ita eam accuſat, vt alterum faciat erubeſcere audientem. Quem pudet peccaſſe, modeſtè fatetur delicta, non facundè; & ſua, quod peccauit, verecundiâ plectit, non aliena. *Qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis*, ait S. Auguſtinus. *Ex miſericordia enim hoc præcepit Dominus, vt neminem pœniteret in occulto. In hoc enim, quod per ſeipſum dicit ſacerdoti, & erubeſcentiam vincit, timore offenſi fit venia criminis.* Non fit autem venia, niſi culpam ſuam agnoſcat, & apud ſe ipſum erubeſcat, non tamen ita erubeſcat, vt ſacerdoti occulat. *Hæc ſunt veræ humilitatis teſtimonia*, ait S. Gregorius, *& iniquitatem ſuam quemq; cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis aperire*, non excuſare, non extenuare, non in maritum aut vxorem, aut ſocium reijcere, ſed totam conſcientiam reuelare integrè, ſincerè, ſimpliciter, vt ita illam peruideat Confeſſarius, ſicut inſpicit Deus. Eſt quidem Deus omnipotens, & nullum non poteſt peccatorem ſaluare; ſed qui creauit te ſine te, & redemit te ſine te,

S. Aug. lib de ver. & fall. pœnit. c. 10.

S. Greg. lib. 22. Moral. c. 13. & 14.

non

non tamen etiam ſaluabit te ſine te. Tua vera confeſſio debet adeſſe, ſi vis diuinam potentiam & miſericordiam tibi non deeſſe.

# CAPVT VII.

## RHEMENSIVM EXEMPLO NOS INSTRVI, QVO MODO PRO PECCATIS NOSTRIS VEL SATISFACERE, VEL SATISPATI DEBEAMVS?

1. HISTORIAE AVTHORES, ET CAVSA CLADIS. Oth. Friſ. l. 4. c. 28. Sigebert. in Chron. An. 453. Nicol. Olaus in Attlia. Vinc. ſpec. hiſtor. l. 21. cap. 37.

HIſtoriæ, quam percenſebo, complures meminerunt inſignes authores, Otho Friſingenſis, Sigebertus, Nicolaus Olaus, Vincentius, Paulus Diaconus, & alij. Circa annum Chriſti Seruatoris 453. cùm Gallia maximè floreret, vitia quoque cum fortuna inualuerunt. Primùm auaritia, per varias inuentiones ac titulos, ingentes opes cumulauit. Poſtquam diuitiarum habuerunt ſatis, neque vlla fuit laborandi neceſſitas, otio ſe ſe dediderunt Galli: non iuuentus litteris, non adultiores negotijs ſe ſe occupauerunt, ſed tota cura fuit in nouo veſtium ornatu, nouisque delicijs excogitandis. Agebantur

tur conuiuia, colebantur gynæcea, deſerebantur templa; ventri, ſaturitati, voluptati paſſim ſeruiebatur. Denique poſtquam in eo regno Superbia vitæ, & concupiſcentia carnis dominatum tenuerunt, creſcente ſemper malitia, peruentum eſt, vt S. Antoninus ſcribit, vſque ad Sodomiticam peruerſitatem. Sole occumbente, nocti ſua ſidera accendit Deus. Ita tunc in Gallia, virtute obſcurata, duo voluit eſſe præſtantiſſima lumina, quæ populo viam ſalutis amiſſam demonſtrarent. Quippe clarebant tunc in Gallijs S. Nicaſius Rhemenſis ciuitatis Epiſcopus ac poſtea martyr, itemque S. Anianus Aurelianenſis Epiſcopus, magnis ambo virtutibus inſignes. Hi duo, tamquam malarum ouium boni paſtores, facilè videbant contagium, neque tacebant, ſed identidem clam, palàm, publicè & priuatim monebant omnes, vt à tam ſcelerata vita deſiſterent, atque ad Deum, per pœnitentiam redirent; neque fluxam hanc hominéque Chriſtiano indignam viuendi rationem, cæleſtibus anteferrent. Verùm quia difficile eſt aſſueta relinquere, & in media vanitate diuina æſtimare, nihili tunc Gallia duorum tam illuſtrium Præſulum

Paul. Diac. lib. 14. in Theod. iuniore, & 15. in Martia. Sur. tom. 7. 14. Decembr. ex S. Antonin. p. 2. c. 8. tit. xi. §. 1. & ſeqq.

lum authoritatem, nihili ſanctitatem, nihili aſſiduè iteratas monitiones faciebant. Nimirum vt dolium aqua plenum, non poteſt alium vllum admittere liquorem, quantumuis pretioſum; ita ſurdis canitur auribus, quas iam illecebræ turpes occupauerunt.

II. PRAEMONITIONES DIVINAE. Sed mirum eſt, homines delicatos, alioqui tam ſolicitos, ne quod conuiuium, ne quam choream, ne ſpectaculum vllum iucundum negligant, hîc obſurdeſcere, cùm clamatur, periculum eſſe æternorum gaudiorum amittendorum. Neque verò ab hominibus dumtaxat clamatur, ſed altiſſima vox eſt ipſa patientia, & longanimitas Dei, conuerſionem peccatoris tam diu expectantis. Quo argumento vtitur Propheta Ioël, dum ait: *Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum: quia benignus & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.* Habebat mille iraſcendi & puniendi cauſſas; & iram continuit, diſtulit pœnam. Immò in ipſa ira clementer cogitauit, iuxta illud: *cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Nam, vt olim Abrahamo cælare non potuit Deus id, quod facturus erat Sodomitis, dans oc-

Ioël. 2. 13.

Habacuc. 3. 2.

Gen. 18. 17.

caſionem illi, vt pro eis oraret; ita Sancto quoque Nicaſio reuelauit Deus, *longè antè*, ſe Gallias diſſipaturum, cauſſasque aperuit. Quod ipſum imminens exitium D. Nicaſius Gallis prædixit, vehementer eos adhortatus, vt à vijs ſuis peſſimis recederent, & ad Dominum Deum ſuum conuerterentur. Sed inueterati in malis, non credunt, quidquid eis mineris, aut certè non curant. Itaque & Galli neque S. Nicaſium, neque S. Anianum acriter monentes audire voluerunt, aut eorum mandatis auſcultare; iram ſibi diuinam ſemper magis ac magis theſaurizantes. Porrò quid ſit vel paucos pios eſſe in ciuitate, aut pro ciuitate patronos, etiã in Abrahamo diuinæ litteræ declarauerunt. Nam ſi vel decem iuſti in Sodomis fuiſſent, deprecante Abrahamo, propter decem iuſtos Deus omnibus Sodomitis pepercisſet. Ad eumdem modum ob S. Nicaſij & S. Aniani merita ac preces, ira indignationis DEI diu fuit dilata, ſignis multis de cælo oſtenſis, & cometa, terræque motu præeunte.

III. Per Attilam puniti Galli.

Dilatâ, inquam, non ablatâ, nam ſicut torrens, vbi repagula perrupit, fortiùs ruit; ita furor Domini collectus diu, erumpit.

pit vehementiùs. Nam *per Attilam Hunnorum regem iudicium Dei*, ait S. Antoninus, *ſe longè lateq́; effudit, quem quaſi gladium limatum, & exacutum de vagina ſua indignationis ſuper gentes peccatrices Deus diſtrinxit.* Attila quippe *Valamiris Oſtrogothorum regis, & Andarici Gepidarum regis, & multarum Aquilonarium gentium ſibi ſubiectarum auxilio fultus, vt ait Sigebertus, à Pannonijs egreſſus, occidentale Imperium inuaſit, cum quingentis millibus armatorum. Et primò per totas Gallias per eos tanta efferbuit Dei indignatio, vt nullam omnino ciuitatem, caſtellum, vel oppidum, aliqua à furore eorum potuerit tutari munitio.* Vos ipſi cogitate, ſi exercitus non hoſtilis, non quingentorum, ſed triginta, aut quadraginta millium dumtaxat, per nos tranſeat cum tanto exitio, quid factum eſſe neceſſe eſt, quando Attila cum quingentis millibus per Occidentem tranſiuit? Et Attila, qui capitali odio Chriſtianos omnes, velut Deorum ſuorum inimicos, & moribus ſuis contrarios delere cupiebat. Quanta tunc in omni regione fuit depopulatio, deprædatio? quot pagi & campi cadaueribus pleni fuerunt? Quàm multi in ædibus ſuis combuſti!

ſti? quàm multi ſtrangulati? quàm multi, qui gladium effugerunt, in montibus & ſiluis fame enecti perierunt? Sic Deus etiam in hac vita plectit peccatores. Nonnè ſatius fuiſſet S. Nicaſium, & S. Anianum, audire, & faciem Domini præoccupare, in confeſſione? quæ pœnitentia aut tam acerba, aut tam fuiſſet vniuerſalis? Ita contingit illis qui pœnitentiam vel non agunt, vel differunt. Et longè grauius quiddam, continget illis, qui pœnitentiam differunt in alteram vitam, exiſtimantes ſe illa ſupplicia faciliùs toleraturos. Vtinam non multi ex hîc præſentibus in eadem naui veherentur, qui ſi vitam dudum emendaſſent, ſi pœnitentiam ſeriò egiſſent, non jam jumenta, domus, villas, & omnia ſua incendijs aut direptione perdidiſſent.

Quamquam illa, ſi perierunt, non poſſunt recuperari; poſſunt tamen in grande lucrum conuerti; quod nos docuit S. Nicaſius. Obſidebatur ciuitas Rhemenſis; & ab Attila acriter oppugnabatur; poſtquam alij in montes fugiſſent, alij, qui remanſerant ciues, vltimo demum ſubuerſionis die, hoſtibus circumquaque mœnia ſcandentibus, aut, vt ſcanderent, nitentibus, terrore

IV. S. Nicaſius docet pœnam meritam in remedium ſalutis conuertendam.

perculſi, ad S. Nicaſium in oratione proſtratum cucurrerunt, interrogantes, quidnam ipſe ſuaderet; ſatiuſné eſſet, ſeruituti gentium ſe ſe tradere, an vſque ad mortem pro ſalute vrbis dimicare? Ibi Nicaſius, diuina reuelatione edoctus, vrbem in ciuibus funditus euertendam, in hunc modum populum eſt affatus: *Numinis hæc eſt indignatio, ô ciues; iuſtum Dei iudicium, ſceleribus veſtris debitum. Dudum peccata veſtra diuinam iram prouocauerunt. Monui, rogaui, prædixi omnia. Nihil effeci. Nunc Deus punit. Cincti ſumus. Non eſt modus, non rima euadendi. Ergo id agamus, ex neceßitate faciamus virtutem. Flagellum diuinum vt remedium, non vt ſupplicium accipiamus. Nam vtrumq; poſſumus. Agnoſcamus nos meruiſſe, quod patiemur. Pœnitentiam agamus, & quidquid nobis graue acciderit, feramus non inuiti, ſed prompti ac libentes; vltronei, non coacti; compuncti, non compulſi; patientes, non deſperantes; Deoq; cum ſpe ſalutis pro debitis noſtris offeramus. Oportebat quidem hæc mala anteuertiſſe, quando dixi: Conuertimini, & agite* Ioël. 2. 12. *pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Sed non audiſtis me, ideò venit ſuper vos indignatio.*

*Quid*

*Quid igitur aliud ſupereſt, niſi vt flagellum Dei, tamquam filij à patre ſuſcipiamus? vt, dum nos punit, ſanet. Id ergo agamus, vt ipſa mors præſens non ſupplicium nobis fiat, ſed remedium. Ita & D. Paulus ſcribit, multos indignè communicantes corpori Domini morte punitos. Ideò, inquit, inter vos multi imbecilles & dormiunt multi: quos ante mortem Deo reconciliatos fuiſſe idem Apoſtolus non tacuit, addidit enim: A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Nec dubitandum eſt, nos per Chriſtum ſatisfacere poſſe adhuc, patienti toleratione flagellorum à Deo commiſſorum. Si agnoſcamus, nos ea meruiſſe, ſi ea libentes perferamus; & præſertim ab Attila tamquam Chriſtianis illata, Chriſti nomine amplectamur; ſi deniq; inſtantiùs oremus pro inimicis noſtris, ſalutem illis optantes tamquam amicis. Ita & pro peccatis noſtris faciemus, & martyrij coronam reportabimus.*

1. Cor. 11. 30.

Vide Concil. Trident. ſeſſ 14. de pœnit. Sacram. cap 9.

V. S. NICASII MARTYRIVM.

His, atque alijs talibus dictis adiecit S. Nicaſius, ſe quoque, tamquam paſtorem, pro ouili ſuo paratum eſſe ad mortem oppetendam. Aderat & germana ſoror eius Eutropia, quæ & ipſa, expanſis ad cælum manibus, plebem, quantis maximis poterat & verbis, & viribus hortabatur, tum ad

pœnitentiam, tum ad martyrij coronam non negligendam. Dum hæc frater & ſoror ad populum inflammandum diſſerunt, ecce hoſtis muros ſuperat, & repentè furibundus paganorum impetus, infeſto agmine irruit, horriſono vlulatu, quali victores vti ſolent, inſultatione pleno. Nicaſius igitur, comite ſorore ſacros hymnos, & cantica ſpiritualia pſallens, ad oſtium baſilicæ S. Genitricis Dei Mariæ, quam in arcem ſedis fundauerat, eis occurrit obuiam; moxq; vt ferratas acies aſpexit, ante templi fores, circumfuſas, manu ſilentium petens, hæc dixit: *O nutibus diuinis miniſtra fortitudo, quare contra humanæ condicionis modum victoriam veſtræ dignitatis in rabiem conuertitis? Nam veri iuris titulus quondam nobilium bellatorum inſcriptus erat:*

Virgil. l. 6 Æneid. *Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.*

*Et ecce plebs Chriſtiana de ſe humilis, & deuota, veſtris in conſpectibus proſtrata, remiſſionem peccatorum vſq; ad mortem obediens expectat: pœnitemini & vos pro ſceleribus veſtris Deum verum agnoſcentes: ne fortè indignatio eius, quæ per vos alijs fit ad correptionem ſalutis, vobis fiat ſtipendium æternæ damnationis. Quòd ſi oues meas, perſeuerante impietate, quæritis,*

*vitis, trucidate me primum, & pro ipſis victimam diuinæ maieſtati libate, vt pariter cœleſti beatitudine digni mereamur inueniri: His dictis: cùm in oratione proſtratus hunc verſiculum Epiſcopus decantaret: Adhæſit pauimento anima mea, continuò ictu gladiatoris ſequente, capite truncato, verbum ſanctitatis ab ore decollati non deſtitit, ſed immortalitatis ſententiam, quam pétÿt adimplendo impetrauit: dicens, viuifica me ſecundùm verbum tuum.* Sic cecidit hoſtia Deo grata. Pſal. 118.

VI. S. EVTROPIAE ET CIVIVM CRVDELIS MORS.

Fratre occiſo, ſoror Eutropia, velut Chriſtiana aliqua aſtitit Camilla, atque è tota multitudine, ſideris cuiuſdam inſtar emicuit. Cuius heroicum pectus, & virginei oris gratia, ipſum barbarorum impetum ſtitit; oculosq́; rapuit, cęleſte quiddã in humana forma admirantium. Senſit prudens virgo, quod res erat, nempe impiam crudelitatem circa ſe mitigatam; ſpeciemque ſuam litibus paganorum reſeruatam. Quia igitur maluit immanitatem, quàm libidinem barbarorum pati, conſilium in arena cepit, ad fratris ſui interfectorem conuerſa, ſibi abblandientem imperterrita voce, *Heus, inquiebat, tyranne crudelis, magnum Dei virum indignis manibus iugulaſti, & me*

*tibi abutendam reſeruas? Non ita fiet: diuina namq; te ſententia damnat.* Dixit, & à Deo acta, repentino ſaltu in eum inſilijt, martyriumque non ambiens, ſed extorquens, neque muliebri virtute, ſed diuina vltione in palpebras eius vtraq; manu inuolauit, quas vnà cum oculis ſtirpitus euulſit. Quo facinore incitati hoſtes, ſtrictis vndique enſibus in eam ruerunt, milleq; plagis confoſſam, ſed pudicitia integra, fratri hoſtiam alteram addiderunt. Generoſum hoc feminæ factum ceteros ciues ita animauit, vt omnes vellent & pro expiatione peccatorum ſuorum, & pro nomine Chriſti, etiam ipſi ſanguinem profundere. Quod & factum eſt. Nam extemplo omnes, qui ad ſacram ædem confugerant, & qui in plateis inuenti fuerant, & quotquot ſe in latibulis abſconderant, in publicum protracti, conciſi, mactati ſunt.

VII. Etiam neceſſaria mala patienter tolerata, a Deo pro

Animaduertite nunc, quàm vtile, & Deo gratum ſit ſacrificium, ſi vel illa mala, quæ nobis alioqui inutilia accidunt, ſaltem patienter toleramus, Deoque pro peccatis noſtris offerimus; præſertim ſi mala nobis inferantur ab hoſte religionis inimico. Expleta diriſſima cæde, & vniuerſa ciuitate

uitate Rhemenſi ſacro martyrum ſanguine inundante, Attilæ milites terror ſubitus inuaſit, oculis non minùs quàm auribus eorum immiſſus. Viderunt enim acies cæleſtes contra ſe dimicantes. Eccleſia autem adeò horribili ſonitu reboabat, vt eum ferre ferocientes non poſſent, ſed illico in fugam conijcerentur, prædis ſpolijsque omnibus poſt ſe relictis. Putaſſes victos, non victores, ita ſine ordine, ſine lege omnes, per compita, quàm ocyſſimè diffugerunt. Erat ergo tunc ſola, atque apertis portis incuſtodita ciuitas. Reliqui ciues, qui ad inuia montium ſe ſe receperant, interea & ipſi pœnitentiam agebant, ieiunijs atque orationibus & lachrymis Deum placantes. Illis igitur expectantibus, vt fumū de incenſa vrbe ſurgentem viderent, planè in contrarium aliquid accidit. Perſpicuè enim deprehenderunt, ſanctorum martyrum corpora inibi ab Angelis cuſtodiri. Nam per noctes ſingulas, accendebantur lumina aërem longè lateque illuſtrantia; quin & ſuauiſſimæ ſymphoniæ carmina à cæleſtibus choris, ſupra ciuitatem, cantari audiebantur. Itaque tot prodigijs moniti ciues de montibus ad vrbem deſcende-

SATISFACTIONE ACCEPTARI.

runt, & ſemper propiores facti, Elyſij odoris fragrantiam magis ac magis percepe- runt. Vnde mirifico quodam gaudio permulſi gemitum lætitia miſcuerunt, ingreſſique paſſim ſtrata ſanctorum corpora inuenerunt, quibus honorificè ſepeliendis eos diuina prouidentia voluerat eſſe ſuperſtites. Quamquam & illud inde eſt conſecutum, vt & ipſi criminibus ſuis defletis, poſthac Deo impenſiùs deſeruirent, quin & iucundiùs, quia hoſtium timore erant liberati.

VIII. NOS QVOQVE PRO PECCATIS NOSTRIS DEO SATISFACTIONEM PRAESTARE DEBERE.

Multa nobis congruunt, quæ in hac hiſtoria continentur. Peccarunt Rhemenſes; peccauimus & nos. Rhemenſes iram Dei in ſe prouocârunt; prouocauimus & nos. Moniti ſunt ſæpe Rhemenſes, vt ſe ſe corrigerent, atque mores ſuos emendarent; moniti ſumus & nos. Venit tandem ira Dei ſuper illos, & ab Attila velut belli turbine, afflicti ſunt; venit & ſuper nos ira Dei, quos ſatis diu bella flagellauerunt. Illi icti ſapuerunt; & quod euitare non poterant, ad ſcelerum ſuorum expiationem ſuſcepe- runt. Et ecce vna morte pœnitentes, & martyres facti ſunt. Nos quoque vndique ab armatis ſepti, cum tribus pueris dica-

mus;

mus: *Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabile & glorioſum nomen tuum in ſecula: quia iuſtus es in omnibus, quæ feciſti nobis, & vniuerſa opera tua vera, & viæ tuæ recta, & omnia judicia tua vera. Iudicia enim vera feciſti, iuxta omnia, quæ induxiſti ſuper nos, & ſuper ciuitatem ſanctam patrum noſtrorum Ieruſalem; quia in veritate, & in judicio, induxiſti omnia hæc propter peccata noſtra. Peccauimus enim, & iniquè egimus recedentes à te: & deliquimus in omnibus: & præcepta tua non audiuimus, nec obſeruauimus, nec fecimus ſicut præceperas nobis, vt bene nobis eſſet.* Dan. 3.

Hoc agnoſcendum eſt primò, vti & S. Nicaſius voluit à populo Rhemenſi agnoſci, immitti ſcilicet talia mala à Deo in pœnam criminum noſtrorum. Crimina diluenda ſunt, ad quod tria pertinent. Vt enim corde, ore, opere Deum offendimus, ita eodem ordine eumdem placamus; corde per contritionem, ore per confeſſionem, opere per ſatisfactionem. Neque enim ſi vel hominem læſiſti, ſatis eſt dolere de eo læſo, aut fateri, quòd eum læſeris, ſed etiam compenſandum eſt damnum illatum. Vnde D. Chryſoſtomus ait: *Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre: in corde eius* S Chryſ. ſerm. de pœnit.

 contri-

*contritio, in ore confeſsio, in opere tota humilitas.* Satisfactio autem hæc exigitur, quia Deus non ſolùm miſericors, verùm etiam
Pſal. 102. 6. iuſtus eſt, *faciens miſericordias Dominus, & judicium omnibus iniuriam patientibus;* atq;
Pſal. 84. 11. in eo *miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi.* Nullum itaque peccatum relinquit impunitum. Si enim homo non reſipiſcat; & illud in ſe ipſo non puniat; punit id diuina juſtitia vel clementer in hac vita; vel condignè in altera. *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet,* ait S. Auguſtinus, *niſi vt id, quod mali fecerit impunitum eſſe non ſinat: eo quippe modo ſibi non parcenti ille parcit, cuius altum, iuſtumq; judicium nullus contemptor euadit.*
S. Auguſtin. epiſt. 54.
Et natura docet, omni culpæ pœnam deberi, maximè ſi grauis ſit; quod enim in priuatis Rebuſpublicis fit, vt per leges, & juſtitiam, ciues coërceantur; id etiam neceſſe eſt fieri in toto mundo. Neque vllus eſt Paterfamilias, aut vllus bonus ludimagiſter, vel ſuperior, qui delicta ſubditorum pœnis
Hebr. 12. 7. non caſtiget. *Quis filius,* inquit Apoſtolus, *quem non corripit pater?* Punit ergo Deus, ſi nos non puniamus; & qui verè pœnitentiam agunt, ſe ipſos puniunt, ne à Deo puniantur: aut pœnam acceptant, in ſatisfactionem, dum puniuntur.

Eſt

Eſt autem *ſatisfactio actio, vel punitio criminum à nobis commiſſorum, vel ſponte ſuſceptta, vel ſacerdotis arbitrio, pro grauitate delicti impoſita.* Quæ vtraque, vt qualis ſit, intelligatur, ſciendum eſt aliam ſatisfactionem eſſe perfectam, quæ fit ad abſolutam & perfectam æqualitatem, vt cùm 100. Philippæi, pro 100. redduntur; aliam imperfectam, quæ fit ad æqualitatem imperfectam, vt cùm quis pro 100. Philippæis ſatisfieri ſibi patitur 50. Philippæis, quos alter ſolos habet. Nos Deo, in hac vita, numquam pro peccatis in eum admiſſis, atque iniuria illi irrogata ex æquo poſſumus ſatisfacere, niſi interueniente gratia, adeoque nec ſatisfactione perfecta, cùm offenſa ſit infinita (quia contra Deum infinitæ dignitatis) & Dei ſit, quidquid Deo rependimus, omnia enim à Deo accepimus. Satisfactio igitur noſtra imperfecta eſt; quia Deus pro immenſa ſua in nos pietate, voluit, vt, ſi poſt baptiſmum denuo peccaremus, & pœnitentiam ageremus, & fructus dignos pœnitentiæ ageremus. Itaque peccata ſtatuit, per contritionem & confeſſionem quoad culpam; quoad pœnam autem, per ſatisfactionem

IX. QVID, ET QVOTVPLEX SIT SATISFACTIO? Concil. Trident. ſeſſ 14. c. 8.

pœna-

pœnalem eſſe expianda. Sunt autem ſatisfactoria opera generatim tria, ad quæ cetera omnia reuocantur, Oratio, ieiunium, eleemoſyna. Per orationem bona animi Deo offerimus; per jeiunium bona corporis; per eleemoſynam externa bona. Per ieiunium concupiſcentia carnis, per eleemoſynam concupiſcentia oculorum, ſeu auaritia; per orationem ſuperbia vitæ coërcetur. Vnde ad ieiunium reuocatur, quidquid carnem affligit, vt cilicia, cineres, flagella, humicubatio. Ad eleemoſynam omnia opera miſericordiæ corporalia & ſpiritualia: Ad orationem omnes actus religionis, vt laudes, gratiarum actiones, dolor de peccatis, confeſſio, fidei profeſſio, prout ſunt opera pœnalia & laborioſa; immò ipſum martyrium, quale fuit Rhemenſium. Hoc eſt, quod vult Propheta dum ait: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Non ſufficit mores in melius commutare,* ait S. Auguſtinus, *& à factis malis recedere, niſi etiam de ijs, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis.* Hæc talia opera ſatisfactoria,

Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 13.

Ioël. 2. 12.

S. Auguſtin. in hom 50. hom. 15.

ctoria, quibus peccata à nobis commiſſa puniuntur, juxta Concilium Tridentinum, *vel ſacerdotis arbitrio pro grauitate delicti impoſita ſunt*, vel ſponte ſuſcipiuntur: quæ vt plena ſint, hoc eſt, vt tollant omnem pœnam temporalem, debent exæquari grauitati peccatorum, iuxta illud: *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus.* Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 9. Deut. 25. 2.

X. OPERA SATISFACTORIA ET A SACERDOTE, ET SPONTE SVSCIPIENDA.

Quod ad ea attinet quæ à ſacerdote imponuntur, 1. difficile eſt, vt ea pro grauitate delicti imponantur. Quid enim, aut quot non Infernos ſæpe vnus peccator meretur; quæ autem pœna ſit Inferno proportionata? 2. Olim ſanè pro vno delicto maximæ ac publicæ pœnitentiæ imponebantur; multorum annorum jeiunia, peregrinationes longinquæ, tota xenodochia, tota monaſteria iubebantur magnates ædificare; quidam ad totam vitam includebantur in cœnobia. Sed nunc, vbi plura ac maiora flagitia committuntur, minores vix pœnas homines ſubeunt. 3. Sunt itaque qui dicant, melius eſſe pœnitentem mittere ad Purgatorium, quàm ad Infernum; quare, ne pœnitentiam maiorem, quam omnino meritus eſſet, penitus omittat ſi imponeretur, clemens Confeſſa-

rius,

rius, non jam *pro grauitate delicti* pœnitentiam imponet, ſed pro fragilitate confitentis: quæ cùm ſit longè minor, quàm promeruerit, id quod ſupereſt, in Purgatorium differtur. Heu quàm ſtulti ſunt, qui eò pœnitentiam differre malunt; aut eum Confeſſarium maximè laudant, qui minimam dat pœnitentiam? Credite mihi, neque hic minimam dat pœnitentiam, qui minimam dare videtur, neque ille minimam mauult, ſed atrociſſimam, præ leuiſſima eligit. Quippe minima Purgatorij pœna maior eſt maximâ huius mundi. At quis vnquam Confeſſarius maximam huius mundi pœnitentiam iniunxit vlli peccatori? Qui ergo prudenter agere, atque acerba illa ſupplicia præuenire volunt, non ſolùm non negligunt pœnitentiam agere, aut differunt eam in alteram vitam, verùm etiam vltro rogant Confeſſarium, vt pœnam ſtatuat grauiorem; aut certè ipſi *ſponte ſuſcipiunt* opera ſatisfactoria longè maiora, geſtant cilicia, toto anno certis diebus ieiunant, flagellis ſe cædunt, dant eleemoſynas, ſecedunt, & ſe includunt ad Domini paſſionem meditandam, vnde diſcant iniurias, verbera, cruciatus

Ita B. Petrus Damian. ſer. 2. de S. Andrea.

æqua-

æquanimiter tolerare. *Hanc ob cauſſam merito dicebat Albertus Magnus, ſimplicem paſſionis Christi memoriam & Meditationem plus vtilitatis homini adferre, quam ſi anno integro in pane & aqua ieiunaret, ac flagellis ſe quotidie vſque ad ſanguinem cæderet, & Pſalterium totum quotidie recitaret: hæc enim exercitia, etſi bona ſint, & valde vtilia, quia tamen ſunt opera externa, ſi ita nudè exerceantur, non habent tantam vim, ad purificandum cor à ſuis vitijs, illudq́ veritatibus ac virtutibus illuſtrandum, & inflammatis diuini amoris affectibus perficiendum; atque attenta, & profunda Chriſti Domini noſtri Paßionis Meditatio, quæ omnia hæc efficit, additq́ etiam ſpiritum & vitam pœnitentijs ipſis, & operibus externis, permouendo efficaciter ad feruentem eorum exercitationem.* Quidam non ad duos vel tres, vel octo dies, ſed per omnem vitam ſe includunt, vt pœnitentiam agant, ſicut Pelagia, ſicut neptis Abrahami eremitæ, ſicut omnes, qui in religionem aliquam ingrediuntur; religionis enim ſtatus, eſt ſtatus pœnitentiæ. Ludouic. de Pont. p 4 medit. §. 1.

XI. QVID NOBIS IN HIS BELLICIS

Præter hæc duo genera operum ſatisfactoriorum vel ſponte ſcilicet ſuſceptorum, vel à ſacerdote impoſitorum, hiſtoria ſu-

prà

MISERIIS FACIENDVM prà commemorata, tertium genus docet, ſcilicet illam ipſam pœnam, quam Deus in hac vita, etiam inuitis infligit, ſi illam, dum euitare non poſſumus, ſaltem patienter de manu Dei ſuſcipiamus, atque ad eius gloriam, pro peccatis noſtris, offeramus. Rhemenſibus non impoſuit S. Nicaſius hoſtes, nec ipſi eos ſponte ſuſceperunt, pro pœnitentia; ſed Deus eos in pœnam illis immiſit; & quia benignus eſt, immiſit, vt caſtigati reſipiſcerent. Quia igitur percuſſi ſapuerunt, atq; ex neceſſitate virtutem fecerunt: mortem ipſam & mille terrores, ac pericula patienter ferentes, ecce Deus, ea ipſa damna, quæ illis Attila intulit, in ſatisfactionem, immo in martyrij meritum ſuſcepit; & tam illuſtribus miraculis eam ſatisfactionem confirmauit. Atque huc mea tendit oratio. Peccauimus omnes, vt aliàs oſtendi. Moniti toties nondum ad pœnitentiam confugimus. Potuiſſemus fortaſſe iram Dei à nobis auertere, ſicut Achab rex, de quo ſponte ſua cilicium induente, & in ſacco dormiente Dominus ad Eliam dixit:
3. Reg. 31. *Nonnè vidiſti Achab humiliatum coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſſa, non inducam malum in diebus eius.* Quia *ſi nos ipſos di-*
1. Cor. 11. 31. *judica-*

*judicaremus, non vtiq; iudicaremur* à Domino, vt ait Apoſtolus. Quando igitur nos ipſos non diiudicauimus, nonnè meritò nos Dominus iudicauit? ſicut Gallos? Itaque iam in vicinia habemus hoſtem; iam armis vndiq; cingimur; iam hoſtilia experimur; iam plurimi adſunt ſpoliati, domo pulſi, in exilium acti, percuſſi, depaupertati, ad incitas redacti, pleni lachrymis, pleni calamitatibus, viri dolorum, mulieres lamentabiles, infantes miſerabiles. Quid faciemus? Hæc volentibus nolentibus æquè ſunt patienda. Si ſimus impatientes, ſi blaſphememus, ſi deſperemus, rem non faciemus meliorem. Impatientia nullius doloris remedium eſt: ſed omne malum reddit grauius, & duplicat; & inſuper meritum tollit, ac infernum meretur. Quòd ſi omnia mala, tamquam flagella à Domino immiſſa, acceptemus, non augebimus illa, ſed leuiùs ſentiemus, quia iam non animo reluctante, ſed volente patiemur; quin & diuinam iram placabimus, vt Rhemenſes; & veniam impetrabimus; & peccata diſcemus deteſtari, quæ harum pœnarum cauſſa fuerunt; denique & Chriſto, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit (ex quo omnis noſtra ſufficientia)

ſi ſatisfaciendo patimur, conformes efficie-
Rom. 8. 17. mur, & ſpem noſtram firmabimus. *Nam ſi compatimur, & conglorificabimur.*

XII. CHRISTO PATIENTI NOS ESSE CONFORMANDOS.

Cùm enim Chriſtus Dominus paſſus ſit pro peccatis noſtris, iniquum eſſet, ſi nos ipſi pro peccatis noſtris nihil pati vellemus. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis*, ait S. Petrus: *vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* (2. Pet. 2. 21.) Et S. Paulus promittit nos cohæredes fore Chriſti, *ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* (Rom. 8. 17.) *Non omnia noſtra Chriſtus expleuit*, ait S. Gregorius. (S. Greg. in cap. 9. l. 1. Reg.) *Per crucem quidem ſuam omnes redemit, ſed remanſit, vt qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò reſiduum viderat, qui dicebat: Si compatimur, & conregnabimus: quaſi dicat: Quod expleuit Chriſtus, non valet niſi ei, qui id, quod remanſit, adimplet.* Quapropter Apoſtolus ait: *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti in corpore meo.* (Col. 1. 24.) Quis autem cum Chriſto non velit pati? Si rex quiſpiam innocens, pro graui delicto ſerui ſui, ita vellet ſatisfacere, vt diceret: ecce vnà ibimus, vnà cædemur, ita tamen vt tu ſeruus nocens non niſi vnum ictum ſuſtineas, donec mihi mille infligantur, quis ſeruus eiuſcemodi pœnam detrectaret? Et tamen Chriſtus hoc

facit; rex tremendæ maieſtatis, infinitæ potentiæ, coram quo Angeli faciem ſuam tegunt, cæli & terræ moderator, coram quo omnes mundi Reges & Monarchæ nihil ſunt. Ille patitur tormenta crudeliſſima, dolores, quibus non inueniuntur in hac vita pares; iniurias, quales nemo alius vmquam tolerauit. Et ſanè pro ſeruo nequiſſimo, ingratiſſimo, pro mancipio rebelli, pro terræ vermiculo, cuius non indiget. Vt eum eripiat ex Oceano calamitatum, & omnis boni theſauris in cælo locupletet. Idq; ſummo amoris affectu. An nō & nos, hoc quidquid eſt, mali, quod ex bello germinat, pro peccatis noſtris patiemur? & vel hoc temporis momento offeremus, dicentes: Accipe omnia Deus, pro peccatis meis? Iuſtus es, merui & hæc, & plura. Atque vel hinc agnoſcemus, quantum oderis peccata, quæ in hac vita tam ſeuerè punis; immo quæ tam atrociter plectis in Filio tuo vnigenito: numquam enim manifeſtiùs oſtendiſti, quantum deteſteris peccata, quàm quando illi, quem infinito amore proſequeris, & tamquam alterum te diligis, innocentiſſimo, qui te numquam offendit, ſed tibi in omnibus obtemperauit, tantum ma-

lorum impoſuiſti, neque acquieuiſti, donec eum afflictiſſimum redderes, plenum plagis & doloribus inter duos latrones pendentem; non alia cauſſa, quàm quòd in ſe ſuſceperit pœnam noſtrorum peccatorum. Quòd ſi tam immani odio atq; implacabili peccatum perſequeris, vt illud in Filio tuo vnico, innocente, tam terribili modo punias, idcirco tantùm, quia pro ſeruo inutili fideiuſſit; quanto odio peccatum in ipſo peccante ſeruo perſequêris? An non digniſſimum eſt, vt ille quoque aliquid, immo multum patiatur? vt tibi ſatisfaciat? Vide columnæ alligatum & flagris conciſum; vide ſpinis caput conuulneratum, vide, mi peccator, in infami ligno ſuſpenſum verum Deum, cæli & terræ Conditorem ſupremúmq; omnium Dominum; tua peccata ſunt cauſſa tantorum cruciatuum, & tam diræ mortis. Omnia hæc perfert, vt te à peccatis tuis emundet, vt pœnam exoluat, quam tu ob illa diuinæ iuſtitiæ debebas, & vt tu eum tandem amando, ad beatitudinis tuæ fruitionem perducaris.

XIII. Iphis Anaxareten cùm necquicquã amaret, ad fores eius ſe ſuſpendiſſe fertur: quod funus cùm illa ſiccis oculis aſpexiſſet, fingitur

QVAM DVRI SINT,

tur in ſaxum eſſe commutata. Chriſtus amore tui, ô anima peccatrix, quia eum redamare noluiſti, in monte Caluariæ ſuſpenſus eſt. Et tu ſiccis eum oculis intueris? non erubeſcis? non doles? peccatorum tuorum veniam non petis? nec ſtatuis ſcelera tua pœnitentijs expiare? ô ſaxum! ô durum pectus! Diruptæ ſunt petræ in morte Saluatoris, & aperta ſunt monumenta mortuorum. Rumpere, & diſrumpere etiam tu, ô adamantinum pectus, quando vides, Conditorem ac Dominum tuum tua cauſſa hæc ſuſtinuiſſe, æquiſſimum profectò eſt, vt & tu illius cauſſa aliquid patiaris; præſertim, cùm ille ob tua, non ſua mala patiatur, par eſt vtique, vt & tu aliquid conferas; alioqui meritò illud tibi erit metuendum: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si enim diuina juſtitia, quæ nihil punit vltra meritum, tanto tormentorum cruciatuumque exceſſu caſtigat aliena peccata humeris innocentiſſimi Filij impoſita, quo rigore illa puniet in reo deprehenſa? Vtinam hæc ſeria mente apprehenderemus! nulla nobis nimis grauis pœnitentia, vel ſponte ſuſcepta, vel à ſacerdote impoſita, vel à Deo immiſſa videretur; nullum nimis aſperum

QVI EXEMPLO CHRISTI NON MOLLIVNTVR? Ouid. lib. 14. Metam.

Luc. 23. 31.

vitæ aut mortis genus eſſet, quod non pro peccatorum noſtrorum ſatisfactione, & pro Redemptoris noſtri honore ac nomine ſubiremus.

Omnia ad maiorem DEI glorium, & conuerſionem peccatorum.

---

# INDEX CAPITVM ET PARAGRAPHORVM.

## CAPVT I.

Qualibus potiſſimùm remedijs, in publicis maximisque neceſſitatibus, ſit vtendum, exemplo Italorum? fol. 1.

§. 1. *Quale genus exemplorũ huic tempori maximè conueniat?* Ibid.

§. 2. *Anthores, tempus, & occaſio exempli.* 2.

§. 3. *Italiæ afflictio vnde?* 3.

§. 4. *Belli in Italia mala.* 6.

§. 5. *Inania Italorum belli remedia.* 8.

§. 6. *Vera belli finiendi remedia.* 10.

§. 7. *Hæc non ſine bona ſpe imitanda.* 14.

§. 8. *Cauſſæ ſperandi.* 15.

§. 9. *Audiendos eſſe pœnitentiæ prædicatores.* 17.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 10. *Exempla pœnitentium ſequenda.* 20.
§. 11. *Qualia opera pœnitentiæ exercenda?* 22.

## CAPVT II.

Icilini & Alberici, duorum fratrum, exemplo oſtenditur, quàm iuſtus ſit Deus, quando etiam grauiſſimas mortalibus clades immittit. fol. 27.

§. 1. *Culpa culpam non agnoſcentium.* Ibid.
§. 2. *Icilini miſeria & mors.* 28.
§. 3. *Alberici calamitas, & tragicus interitus.* 30.
§. 4. *Ex huius tragœdia miſeria, belli exitium poſſe æſtimari.* 35.
§. 5. *Alberici crudelitas.* 36
§. 6. *Alberico multos ſimiles eſſe.* 39.
§. 7. *Icilini immanitates.* 43.
§. 8. *Quàm iuſtè à Deo his ſua calamitas fuerit permiſſa?* 45.
§. 9. *Nullus debet ſe innocentem putare.* 46.
§. 10. *De menſura peccatis conſtituta.* 49.
§. 11. *Quo modo hæc menſura, non à nobis, ſed ab aduerſarijs ſit implenda?* 52.

## CAPVT III.

Damnatæ Fæminæ exemplo oſtenditur, ſicut huius vitæ mala in bona, ita viciſſim voluptates in æternas cruces conuerti. 54.

§. 1. *Cur magis meriti minus pœnarum habeant in hac vita?* Ibid.
§. 2. *Author, & authoritas historiæ.* 56.
§. 3. *Qualis fuerit pater tam piæ filiæ?* 57.
§. 4. *Quàm impia fuerit optima filiæ mater?* 59.
§. 5. *Boni patris mala, & malæ matris bona in ſpeciem mors.* 62.
§. 6. *Virginis de vita inſtituenda deliberatio.* 65.
§. 7. *Angeli Cuſtodis apparitio, & patris oſtenſio.* 67.
§. 8. *Pœnæ ſenſus in inferno.* 69.
§. 9. *Damnatæ matris pœna filiæ oſtenſæ.* 72.
§. 10. *Infernũ qui credit, aut non credit, quid faciat?* 77.
§. 11. *Impuros ſpeculum habere in hoc exemplo.* 80.

## CAPVT IV.

Marci Guterrij militis incomparabilis exemplo nos doceri, quo modo, in militia ſpirituali, anima contra peccatum ſit defendenda. fol. 84.
§. 1. *Milites non omnes eſſe impios.* Ibid.
§. 2. *Author, & odij cauſſa.* 85.
§. 3. *Arx inimici quàm inuiſa?* 87.
§. 4. *Marci Guterrij fidelitas tentata.* 88.

§. 5. *Arcis obſidio.* 93.

§. 6. *Marci incredibilis fides, & conſtantia.* 94.

§. 7. *Arx à nobis ſeruanda eſt Anima noſtra.* 96.

§. 8. *Capitur arx, & Guterrius.* 98.

§. 9. *Quàm acerbè ſentiant milites, ſi ingratos laboribus ac periculis ſuis dominos experiantur?* 99.

§. 10. *Guterrius à mundo contemptus, mundum viciſſim contemnit.* 103.

§. 11. *Guterrij miranda fidelitas.* 105.

§. 12. *Anima, tamquã caſtrum, contra ipſum rationis dictamen prodita, Deo reſtituenda.* 106.

§. 13. *Quot, & Quantæ iniuriæ Deo fiant per peccatum?* 109.

§. 14. *Quot, & quanta damna Animæ peccatum inferat?* 113.

§. 15. *A Guterrio pudefieri peccatores.* 116.

CAPVT V.

Exemplo Petri cuiuſdam docetur, quanta ſit diuinæ clementiæ bonitas, & miſericordia, ad ignoſcendum etiam deſperatiſſimis; qua ipſa bonitate peccatores ad pœnitentiam alliciuntur. 118.

§. 1. *Petri fortuna, & deſperata conſcientia. Ibid.*

§. 2. *Qualis S. Dominico apparuerit Petrus ex curioſitate adiens concionem?* 120.
§. 3. *Petri calamitas & ſtatus populo oſtenſus.* 124.
§. 4. *Admiranda Petri conuerſio, & Dei miſericordia.* 126.
§. 5. *Inter multa pœnitentiæ motiua cur potiſſimum diuina bonitas?* 130.
§. 6. *Bonitas diuina in creando, ornando, redimendo homine.* 131.
§. 7. *Cur è Virgine naſci voluerit Deus?* 133.
§. 8. *Quàm ſit immenſa Dei miſericordia?* 136.
§. 9. *Immenſa miſericordia allici homines ad pœnitentiam.* 138.
§. 10. *Sacramentorum abuſus.* 140.
§. 11. *SS. Euchariſtiæ abuſus.* 142.
§. 12. *Infinita Dei ad ignoſcendum clementia, qua boni vtuntur, mali abutuntur.* 144.

CAPVT VI.

In Iuuene, chirographum ſuum à malo Genio recipiente, docetur, nullum eſſe tantum peccatorem, quem immenſa Dei potentia non poſſit in gratiam recipere, ſi velit agere pœnitentiam. 146.
§. 1. *Miſericordiam & potentiam Dei credendam eſſe pœnitenti.* Ibid.

§. 2.

§. 2. *Virginis conſilium.* 148.
§. 3. *Serui amor.* 149.
§. 4. *Pactum magicum.* 150.
§. 5. *Dæmonis in puellam poteſtas.* 153.
§. 6. *Puella quali ſit nupta marito intelligit.* 155.
§. 7. *Deum Angelos bonos, immò & bonos homines, diabolo eſſe longè potentiores.* 156.
§. 8. *D. Baſilij contra diabolũ victoria.* 158.
§. 9. *Potentia Dei quanta?* 161.
§. 10. *Potentia Dei etiam hominibus communicata.* 163.
§. 11. *Hanc Confeſſarij potentiam non eſſe negligendam.* 165.
§. 12. *Non tantùm confitendum, ſed rectè confitendum eſſe.* 168.

CAPVT VII.

Rhemenſium exemplo nos inſtrui, quo modo pro peccatis noſtris vel ſatisfacere, vel ſatiſpati debeamus? fol. 172.
§ 1. *Hiſtoriæ Authores, cauſſa cladis.* Ibid.
§. 2. *Præmonitiones diuinæ.* 174.
§. 3. *Per Attilam puniti Galli.* 175.
§ 4. *S. Nicaſius docet pœnam meritam in remedium Salutis conuertendam.* 177.
§. 5. *S. Nicaſij martyrium.* 179.
§. 6. *S. Eutropiæ & ciuium crudelis mors.* 181.

§. 7. *Etiam neceſſaria mala patienter tolerata, à Deo pro ſatisfactione acceptari.* 182.
§. 8. *Nos quoq; pro peccatis noſtris Deo ſatisfactionem præſtare debere.* 184.
§. 9. *Quid, & quotuplex ſit Satisfactio?* 187.
§. 10. *Opera Satisfactoria, & à Sacerdote, & ſponte ſuſcipienda.* 189.
§ 11. *Quid in his bellicis miſerijs faciendum?* 191.
§. 12. *Chriſto patienti nos eſſe conformandos.* 194.
§. 13. *Quàm duri ſint, qui exemplo Chriſti non molliuntur?* 197.

# INDEX
# RERVM ET VERBORVM.
## Prior numerus Caput, alter Paragraphum designat.


*Abiuratione Dei & SS. exigit dæmon.* 6. 4.

*Abrahamus Bzouius qualis?* 1. 2.

*Abraham Patriarcha fuit miles.* 4. 1.

*Abſoluendi à peccatis poteſtas cui data?* 6. 10.

*Abſtinentia vtilitas.* 3. 4.

*Accuſator ſui iuſtus, excuſator impius.* 2. 1.

*Achab ſe humilians miſericordiam obtinuit.* 7. 10.

*Acherontis auxilium inuocare impium.* 1. 5.

*Achitophel ludus fortunæ fuit.* 4. 5.

*Adoleſcentibus cur Plato vinum interdixerit?* 3. 4.

*Ægrotus ſemper vir quidã bonus. Cur?* 3. 3.

*Aër cur in funere improbæ mulieris fuerit ſerenatus, obſcuratus viro probo defuncto?* 3. 5.

*Æternitas pœnarum inferni ſtupenda.* 3. 9.

*Africa Vrraca regina & Didaci fratris eius exilium.* 4. 3.

*Agnitio vtilis miſeriæ ſuæ.* 5. 4.

*Albericus quantarum turbarum author?* 1. 3. *quò ſe receperit? quo modo ſe geſſerit obſeſſus, captus, quã in ſuis ſeuerè punitus? quàm dira, ſed pia morte obierit?* 2. 3. *eius tyrannica immanitas.* 2. 5. *eius mors cur crudelior quàm Icilini magis ſcelerati?* 3. 1.

*Alfonſus IX. à nouerca malè tractatus quo modo id tulerit? quomodo vindicarit?* 4. 2.

*Aman fortunæ & venti ludibrium.* 4. 2.

*Amicitia Dei contemnitur à peccante.* 4. 13.

*Amor libidinoſus occaſione & familiaritate incenſus.* 6. 3. *ad inſaniam & magicas*

gicas artes adigit. 6. 4.
Amorrheorũ iniquitas quando completa? 2. 10.
Anaxarete ſiccis oculis aſpiciens Iphin ſaxea facta. 7. 13.
Angeli apparitio. 3. 7. potentia maior potentiâ diabolorum. 6. 7.
S. Aniani laus. 7. 1. oratio potens. 7. 2.
Anima nobis cuſtodienda data. 4. 7. & 4. 12. amiſſa Deo reſtituenda, vt arx. 4. 12.
Annus generalis deuotionis quis, & vnde dictus? 1. 6.
Apoſtolorum quanta fuerit poteſtas? 6. 10.
Armatus fortis quis ſit? 4. 7.
Arundineus baculus ſpes irrita. 1. 5.
Aſſyrij affligentes afflicti. 2. 11.
Attila etiam Galliæ flagellum grande. 7. 3.
Auro caſtra munitiſſima expugnari. 4. 4.
Auxilia varia tempore belli. 1. 5. vnde petenda, vel non petenda? ibid.
Azonis Marchionis conſiliũ. 2. 3.

B

Baculus arundineus quid? 1. 5.
Baptiſmi abuſus in perniciẽ. 5. 10.
S. Baſilij authoritas. 6. 2. modus liberandi magum à dæmonis ſeruitute. 6. 7.
Belli mala. 1. 1. effectus. 1. 4. cauſſa. 1. 8. clades pœnitentiæ ſtimulus. 2. 1.
Beliſarij fortuna inconſtans 4. 2.
Benefactori Deo ingratum eſſe, quàm ſit indignum? 4. 15.
Beſtiam ex homine facit peccatum. 4. 12.
Biuium vita iuuenilis. 3. 6.
Bonitas infinita Dei, creantis eum à quo ſe ſciebat eſſe toties & tam grauiter offendendum. 5. 6.
Bononia exemplum pœnitentiæ facta. 1. 6.
Brixia ad pœnitentiam adducta. 1. 6.

C

Cacodæmonum turba circa peccatorem à ſe captum exultans. 5. 2.

Caci

Cæci mente, ſuas miſerias nõ vident. 2. 6. & 2. 9.
Calamitates belli, cauſſa ſunt pœnitentiæ agendæ. 2. 3.
Canum curandorum curam ſuſcipit inſignis dux. 4. 10.
Capite dempto, inutilia cetera membra. 1. 3.
Captus Icilinus, quàm miſerè tractatus? 2. 2.
Caſilinates obſeſſi quantam famem paſſi? 4. 5.
Caſtitas & ebrietas rarò ſimul habitant. 3. 4.
Caſtri Guiar inſidiæ. 4. 3.
Catenatus peccator D. Dominico oſtenſus. 5. 2.
Catharina Senenſis & ipſa pœnitens. 1. 11.
Catholici ab hæreticis ob peccata puniti. 2. 11.
Chaldæi punientes puniti. 2. 11.
Chanan quã habuerit menſuram peccatorum? 2. 10.
Charienſes cum pœnitentibus pœnitentes. 1. 6.
Charitas in Dei Matre quãta? 5. 7. ſeqq.
Chirographum diabolo puella cauſſa datum. 6. 4. à diabolo ope S. Baſilij reſtitutum. 6. 8.
Chirurgi noſtri ſunt hoſtes noſtri. 1. 8.
Chriſtus morienti pœnitenti apparet. 5. 4. cur homo factus? 5. 6. ſua ſatisfactione oſtendit rigorẽ iuſtitiæ diuinæ. 7. 11 ſeqq.
Clamant ad cælum peccata, vindictam petunt. 2. 11.
Claues caſtri è collo ſuſpendit moriturus fidelis miles. 4. 6.
Concionatorum vis. 8. 1. argumenta contra peccata. 5. 2.
Confeſſio peccatorum quàm vtilis? 1. 8. cur ſæpius facienda? 1. 11. inutilis poſt mortem. 3. 9. per abuſum violata. 5. 10. magni facienda. 6. 11. non negligenda. ibid.
Confirmationis ſacramentũ neglectum. 5. 10.
Confuſio aliquando bona, aliquando mala confitenti. 6. 12.
Conradinus hæres regni Neapolitani.

*politani.* 3. 1.
*Conradus, Friderico patre defuncto, regnum Italia armis petit* 1. 3.
*Conſtantia mira Ducis bellici.* 4. 4.
*Contemptor auri, ſeruator fidei.* 4. 4.
*Contemptus prodeſt peccatori eum merito.* 4. 5. *Dei, quo modo inſit peccato?* 4. 13.
*Conuerſionis à peccato motiua.* 5. 2. & 5. 5.
*Corpora Sanctorum diuinitus illuſtrata.* 7. 7.
*Creatorem à creatura per peccatum contemni.* 4. 13.
*Credentes hæretici à quo iuſsi extirpari?* 1. 3.
*Crudelitas inaudita Icilini.* 2. 7.
*Crux pœnitentibus prælata.* 1. 7. *aduerſus Albericum indicta.* 2. 5.
*Cucumerario cur Ieruſalem comparata?* 1. 5.
*Culpa belli non in alios reijcienda* 2. 1.
*Curioſitas audiendi.* 1. 5. *ſub inde etiam prodeſt* 2. 5.
*Cuſtode carens in omnem licentiam ſoluitur.* 3. 5.
D*Amnatorum pœna.* 3. 8. *ſocij. ibid. culpa & reatus per peccatum.* 4. 14.
*Dauidis peccatum & pœnitentia, vnde?* 6. 1.
*Deploranda belli mala.* 2. 4.
*Derthonem delata ſupplicantium proceſsio.* 1. 6.
*Deſperantium tentationes.* 3. 10. & 5. 1. *item cauſſa.* 5. 5. *de miſericordia & potentia Dei.* 6. 1.
*Deus eſt auxilium noſtrum.* 1. 5. *per peccatum quo modo contemnatur?* 4. 13. *an ſatisfactionem pro peccato recipiat?* 7. 9. *ſeq.*
*Deuoti qui in Italia dicti?* 1. 6.
*Diaboli malitia magos ad extrema perducentis.* 6. 4. *pœnitentes tentantis.* 6. 8.
*Didacus de Haroquis?* 4. 2. *eius exilium.* 4. 3. *quo modo exceperit Guterriũ* 4. 9. *quàm ingratus? ibi. pro malo bonum recipit.* 4. 11

*Diuiſio regni, regni perditio.* 1. 3.
*Diuitijs & vitijs magnam eſſe cognationem.* 5. 1.
*Ducis egregij mira conſtantia & fides.* 4. 4.
*Dolor cogit remedia quærere.* 1. 1.
*S. Dominicus quantus concionator?* 5. 1. *vidit miram peccatoris formam.* 5. 2. *fecit, vt etiam ab alijs videretur.* 5. 3.
*Domus ſupra domum cadens.* 1. 3.
*Duritia peccatoris.* 5. 2. *vnde?* 5. 5.

E*Brietas & caſtitas ſibi aduerſa.* 3. 4.
*Eccleſia oppugnari, non expugnari poteſt.* 1. 8.
*Effecta peccatorum peſſima.* 4. 14.
*Eleemoſyna ſatisfacit pro peccato.* 7. 9.
*Epiſcopi exemplo debent præire populo.* 1. 11.
*Eremita Italos ad pœnitentiam adhortatur.* 1. 6.
*SS. Euchariſtiæ abuſus, contemptus, violatio.* 3. 11. & 5. 11. *oſor magus.* 6. 5.
*S. Eutropia heroicus ad martyrium animus.* 7. 5. *ſeq.*
*Excuſant peccata nocentes, accuſant innocentes.* 2. 1.
*Excuſationes non admittit, vel adhibet miles fidelis & generoſus.* 4. 6.
*Exempla quid poſſint?* 1. 6. *ſequenda* 1. 10. *peccatorũ conuerſorum.* 5. 5.
*Exilio multatus Didacus de Haro.* 4. 2.
*Exuſtio filiarum in conſpectu patris.* 2. 3.
*Ezechiæ ſpes qualis?* 1. 5.

F*Acies mala iudicandi cauſſa.* 5. 2.
*Factiones Italicæ, vnde?* 1. 2.
*Fœmina peſſima vitia.* 3. 4. *heroicum factum.* 7. 6.
*Fames obſeſſorum.* 4. 5. & 4. 7.
*Familia à Romano potentia & interitus.* 2. 2. & 2. 7.
*Febrientibus nocet refrigerari.* 3. 10.
*Felicitas duorum fratrum in extremam perniciem mutata.* 2. 2.
*Filia matris damnata fru-*

ſtra miſerta. 3. 9. Sanctè educata tentatione victa. 6. 2.
Filij contra matrem pugnantes. 1. 3. in conſpectu parentum miſerè truncantur. 2. 3.
Finis peccatorum quibus, & quando conſtitutus? 2. 10. ſeq. Vltimus à peccatore contemnitur. 4, 13.
Flagellantes alij deuoti, alij hæretici. 1. 5. eorum proceſſio. 1. 6.
Flagellum Dei quo modo acceptandum? 7. 4.
Fletus damnatorum. 3. 8.
Florentini in qua re ſpem habuerint? 1. 7.
Fortitudo admiranda Ducũ. 4. 6.
Fortuna ludus in miſerando caſu. 2. 5. in principibus, 4. 2. in rota Imperij. 4. 2. fauor periculoſus. 5. 1.
S. Franciſci templum à flagellantibus honoratum. 1. 6.
Fraterna charitatis exemplum. 6. 9.
Friderici mortem qua turba ſecuta in Italia? 1. 2.
Fruſtillatim diſcerptus Albericus. 2. 3
Fuga Philiſthæorum vnde? 1. 3. diuinitus hoſtibus immiſſa. 7. 7.
Fumus inferni. 3. 8.
GAllia diuitijs & peccatis florens. 7. 1. monetur, ſed fruſtra. 7. 2.
S. Geminiani Eccleſia à pœnitentibus viſitata. 1. 6.
Genuenſes quod initio riſerunt pœnitentiæ exemplũ, poſtea ſunt imitati. 1. 6.
Gibellinorum factiones. 1. 3. Victoria. 1. 7.
Goliath terror Iſraelitarum. 1. 3.
Gomorrha finis, quando impletus? 2. 10.
Gratiam Dei per peccatum amitti. 4. 14.
Gregorio X. ſedente, hæretici Flagellantes orti. 1. 7.
Guelphorum factiones. 1. 3. petitio, ib. cauſſa melior. 1. 7.
Guiar caſtrum quàm munitum? quàm generosè defenſum

ſenſum? 4. 3.
Gulielmus Sureſinus quid Icilino promiſerit? 2. 2.

HÆres regni Neapolitani Conradinus. 1. 3. cali eſſe deſinit peccator. 4. 14.
Hæretici Credentes dicti, tumultuoſi. 1. 3. ſunt flagellum, & flagellum merentur. 2. 11. grauiter puniuntur exemplo Icilini. 2. 7.
Hannibal ad quantas anguſtias redegerit obſeſſos. 4. 5.
Haſtenſes inter pœnitentes. 1. 6.
Hieruſalem quare cucumerario comparata? 1. 5.
Hiſtoria de Vitis SS. PP. quanta ſit fidei? 3. 2.
HochenWila, tempore belli, quàm noxia? 4. 3.
Homini quanta abſoluendi à peccatis poteſtas data? 6. 10.
Hoſtes chirurgis ſimiles. 1. 8. quomodo à S. Nicaſio admoniti? 7. 5. quo modo territi? 7. 7.
Hubertus Palauicinus arcet ſupplicantes. 1. 6.
Hunni pœnam intulerunt & tulerunt. 2. 11.

ICilinus author tumultuũ Italiæ. 1. 3. Sagitta ictus. 2. 2. in quantis anguſtijs fuerit? ib. ſine pœnitentia obijt. ib. ſummè crudelis. 2. 7. ſceleſtior, cur habuerit mortem mitiorem? 3. 1.
Ieiunium in Niniue prædicatum. 1. 9. ſatisfacit pro peccatis. 7. 9.
S. Ignatium malè iudicans, malè perit. 5. 2.
Ignis pœna in Inferno. 3. 9.
Imitatio pœnitentium Vrbium. 1. 8.
Immola pœnitentiam aliorum imitata. 1. 6.
Impudicitia ingens. 3. 11.
Incendio etiam pietas ſimilis. 1. 6.
Incluſus ad pœnitentiã magus à S. Baſilio. 6. 8.
Incredulorum tentatio, & damna. 3. 10.
Indignatio populi in Tyrannum. 2. 5.

Inexcuſabiles eſſe de miſericordia & potentia Dei deſperantes. 6. 11.

Infelix felicitas peccatorũ. 3. 6.

Inferni pœna oſtenſa puellam mouent. 3. 8.

Infinita Dei miſericordia peccatores ad pœnitentiam inuitat. 5. 8. ſeq.

Ingratitudo erga benefactores. 4. 9. erga milites Icilini. 2. 7.

Innocentio Pontifice, quæ turba in Italia? 1. 3.

Innocens nemo à ſe ipſo putari debet. 1. 8. nemo occiditur. 2. 9. cur à Deo occidi permittatur? 2. 8.

Inſania amoris impuri. 6. 3. & 6. 5.

Interregnum Italiæ quàm diuturnum? 1. 2.

Io. Baptiſta pœnitentiæ opera fecit. 3. 1.

Ionas pœnitentiæ prædicator. 1. 9.

Ira Dei à peccatis prouocata. 2. 6. in regna vindex eſt. 7. 3. quantas in nobis cauſas inueniat? 2. 9. ſeq.

Italiæ regnum quo modo ad nihilum redactum? 1. 2. quàm miram pœnitentiam mundo & Deo exhibuerit? 1. 6.

Iudas malè ſe peccaſſe confeſſus. 6. 12.

Iudex, Deus à peccatore contemnitur. 4. 13. dum munus ſuum exercet, non debet bibere vinum. 3. 4.

Iudicia Domini ſemper iuſta. 1. 8. non ſecundùm faciem ferenda? 5. 2.

Iure cœleſtis gloriæ priuat peccatum. 4. 14.

Iuſtitia Dei in puniendis impijs. 2. 8.

KYrie eleiſon in periculis à populo clamatum. 6. 8.

LAus Dei ex confeſſione peccatoris. 6. 11.

Legiſlator contemnitur, lege violata. 4. 13.

Longanimitas in miſerijs neceſſaria. 3. 6. mirifica Dei. 5. 9 & 5. 12.

Lot ebrius inceſtum committit. 3. 4.

Ludouici

Ludouici Bononienſis fides. 2. 3.
Lumina in aëre Sanctorum corpora indicant. 7. 7.
Luxuria è vino. 3. 4. & aliis irritamentis. 3. 11.
Luxurioſi non ſunt boni milites. 4. 4.
S. Magdalena pœnitens. 1. 11. conuertitur. 5. 5.
Magus amata potiunda viam docet. 6. 4. proditur per fugam SS. Euchariſtia. 6 5. quo modo ad confeſſionem adigendus? 6. 11.
Mala intrinſeca peccatis. 4. 13. extrinſeca 4. 14. à Deo immiſſa poſſe offerri in ſatisfactionem pro peccatis. 7. 10.
Marchia pietatis æmula. 1. 6.
Marcus Guterrius quantus miles? 4. 3. ſeq. pro mortuo habitus. 4. 8. malè remuneratus. 4. 9. mundum contemnit. 4. 11. iterum emergit. & amiſſam arcem noua arte domino reſtituit. 4. 11.
S. Maria Dei Mater, tempore belli, inuocata. 1. 6. peccatori lachrymas impetrat. 5. 4. eſt miſericordia Mater 5. 7. & ad hoc à Deo electa. ib.
S. Martha pœnitens. 1. 11.
Mater quadam mala & felix 3. 4. damnata viſa filia vtilis. 3. 9.
Matrimonij abuſus. 5. 10. pænitudo. 6. 6
S. Matthæi conuerſio. 5. 5.
Maximè rei, minimè ſe reos agnoſcunt. 1. 8.
Medicinam corporum citiùs quari, quàm animorum. 2. 9.
Mediolanum in partes diſtractum. 1 3 excludit pœnitentes. 1. 6.
Meditatio Paſſionis Chriſti quàm vtilis? 7. 10.
Membra ſine capite inefficacia. 1 3. politica inuicem participant commoda & incommoda. 2. 8.
Menſura peccatorum eſt apud Deum. 2. 10.
Meretrix fit mulier cuſtode remoto. 3. 5.
Meritis omnibus priuat peccatum.

catum. 4.14.
Meſa obſeſſi oratio, arcis traditio. 2.3.
Metus Iſraelitarum ab hoſte vnde? & quo modo ademptus? 1.3. ira diuina cauſſa eſt pœnitentia. 2.11.
S. Michael Angelus miles fuit. 4.1.
Milites indignè tractati, & mactati. 2.7 etiam ſæpe boni ſunt. 4.1. & complures. ibid. rebus neceſſariis iuuandi. 4.9.
Minas inferorum non eſſe fictas. 3.10.
Miſericordia Dei quo modo per pœnitentiã impetrata? 1.6. infinita vel lapidem debet mouere. 5.6. ſeq piſcatoris. 2.5.
Monaſteriorũ viſitandi mos antiquus. 3.2.
Monſtri mirabilis inſtar apparet peccator. 5.2. ſeq.
Mores mali felicis regni. 7.1.
Mors peioris cur mitior? 3.1. ſancti in ſpeciem mala. 3.5. electa ab Eutropia, ne caſtitatem perderet. 7.6.
Mortalium mira cæcitas. 2.6.
Mulieres turpiter veſtibus exutæ. 2.5.
Mundi contemptus ob ingratitudinem. 4.10.
Mutabilitas feminæ. 6.2.
Mutina à ſupplicantibus viſitata. 1.6.
NAres quibus amputandæ? 2.5.
Neapolitani regni hæres quis? 1.3.
Neceſſitas in virtutem vertenda. 7.4.
Nequitia ſæculi huius. 2.9.
S. Nicaſii Epiſcopi laus. 7.1. oratio efficax 7.2. ſermo & conſilium in re deſperata. 7.4. martyrium. 7.5.
Niniue ob pœnitentiam ſeruata. 1.9.
Noe tempore impleta menſura peccatorum. 2.10. nuditas ex ebrietate. 3.4.
Nouarienſes cur non admiſerint pœnitentes? 1.6.
Nouerca regia in Alfonſum animus. 4.2.
Nouiſſimorũ memoria, quàm

vtilis? 3.1. ſeq.
Numerus certus peccatorum conſtitutus. 2. 10.
Nuntius vrbis captæ ſuſpenſus. 2. 7.
OBſeſſorum miſeria. 4. 5. & 2. 3.
Obſidioni quo modo parandi ciues? 7. 4.
Occaſio tentationis cauſa eſt. 6. 3.
Octauiani Cardinalis miſericordia. 2. 5.
Oculis obiecta magis mouent quàm audita. 3. 8. priuat hoſtem femina. 7. 6.
Odia, tempore belli poſita. 1. 6. pœnitentibus ponenda. 1. 11.
Omnipotentia Dei quanta? 6. 9.
Ope nullius indiget Deus. 6. 10.
Opera varia pœnitentiæ. 1. 11. non in alterā vitam differenda. 3. 1. ſatisfactoria quæ, & quot ſint? 7. 9. ſeq
Oratio S. Dominici quàm efficax? 5. 2. ſeq. ſatisfactorium opus. 7. 9.
Oreb cur rotæ ſimilis? 4. 2.
Ottonis Cardinalis de victis dictum. 1. 7.
Oues ſine paſtore miſeræ. 1. 3. malæ etiam bonos paſtores habent. 7. 1.
POEna mitiùs in hac vita infertur. 3. 1. damni & ſenſus in inferno. 3. 9. delictis debetur. 7. 8.
Pœnitentiæ prædicator, & inchoatores in Italia 1. 6. tempus nunc maximè eſt. 1. 9. Niniuitarum. ib. adiuncta eſt pugna & tentationes. 6. 8. quanta olim data confitentibus? 7. 10. quales nunc danda? ibid.
Papia pœnitentes admittit. 1. 6.
Paradiſi oſtenſio quàm delectabilis? 3. 7.
Parma à Gibellinis petita. 1. 3. prohibet aditu pœnitentes. 1. 6. haurit à Regienſibus pietatem. ibid.
Paſſerum quoque cura Deo. 2. 4.
Paſſionis Chriſti meditatio quàm vtilis? 7. 10. peccati grauitatem oſtendit. 7. 12.

*7.12.ſeq.*
*Paſtor ablatus ouium diſperſio.* 1.3. *bonus ouium malarum.* 7.1.
*Patauini milites crudeliter interfecti.* 2.7.
*Pater miſer & bonus.* 3.3. *beatus filia viſus vtilis.* 3.7.
*Pati quanta debeamus animi cauſſa?* 4.7.
*S. Pauli conuerſio.* 5.5.
*Peccata punienda.* 2.6. *belli & cladium ſunt cauſſa.* 1.8. *ſine quibus nemo. ibid. in beſtiarũ naturam homines vertunt* 4.12. *miſerrimum oſtendunt peccatorem S. Dominico.* 5.2. *ſeq. quàm grauia ſint ex iuſtitia Dei & Paßione Chriſti docetur.* 7.11. *ſeqq.*
*Pectus cum contritione tundere, vtile.* 1.11.
*Pecunia potentia.* 4.4.
*Pedemontanæ ciuitates exemplũ bonum ſecutæ.* 1.6.
*Pedem alterum in mari, alterum in terra habere quid ſit?* 6.2.
*Peregrinatio eſt opus pœnitentiæ.* 1.11.
*Peregrini an in vrbe debeant eſſe otioſi?* 1.11.
*Periculum in remediũ vertendum docet S. Nicaſius.* 7.4.
*Peruſini authores inauditæ pœnitentiæ.* 1.6.
*Petri diuitis fortuna, deſperatio, curioſitas, conuerſio.* 5.1.*ſeq.*
*Perturbatio ingens totius regni.* 1.4.
*Pharao cæcatus AEgyptum perdit.* 1.3.
*Piſcatoris cuiuſdam miſericordia.* 2.5.
*Populi Mediolanenſis quis Prætor?* 1.3.
*Portæ inferi Eccleſia non præualentes.* 1.8.
*Potentia Dei à deſperatis in dubiũ vocatur,* 6.1. *quàm malè?* 6.7. *quanta ſit?* 6.9 *alijs quoque ex parte communicata.* 6.10.
*Prætores duo diuerſi Mediolani.* 1.3.
*Principum deſidia populis quàm pernicioſa?* 1.3.

Probe-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Proborum pœnitentia in hac vita. 3. 1.
Proceſſio flagellantium. 1. 6.
Procorum mores. 6. 3.
Proditorum infamia. 4. 4.
Promiſſiones Dei vera ſunt. 3. 10.
Propheta ad Pœnitentiam adhortantes. 1. 9.
Protectione Dei peculiari priuat peccatum. 4. 14.
Proterÿ pietas. 6. 2.
Publicanus pœnitens pectus percuſſit. 1. 11.
Puella pugna contra procum, 6. 3. eiuſdẽ inſanus amor. 6. 5.
Purgatorio an reſeruanda pœnitentia opera? 7. 10.

QVantus fuerit Goliath? 1. 2.
Quies poſt pugnam mago data, 6. 9.

RAbſacis regis legatio ad Ezechiam. 1. 5.
Ratio peccato laditur. 4. 12.
Redemptori ingratus eſt peccator. 4. 13.
Refugium obſeſſis turris. 2. 2.
Regnum diuiſum perditum. 1. 3. Neapolitanum recẽptum. 1. 3. eius viciſſitũdo. 1. 4. felix cum infelicitate. 7. 1.
Regienſes ſtant pro Guelfis. 1. 3. quanta pietate fuerint? 1. 6.
Reipublica miſerandus ſtatus. 1. 4.
Religionis cauſſa iuſta. 1. 8.
Remedia quærere docet dolor. 1. 1.
Reſponſum ducis ad deditionem tentati 4. 4.
Reſtitutio animæ Deo facienda. 4. 12.
Rhemenſibus nos ſimiles eſſe. 7. 8.
Romana pœnitentia æmula. 1. 6.
Roſarium B. V. peccatori ſubſidium 5. 4.
Rota regnantium. 4. 2.

SAcerdotium multis eſſe in damnationem. 5. 10.
Sacerdotũ quanta poteſtas? 6. 10.
Sacramentorum inſtitutio quanta bonitatis diuinæ? 5. 9. violatio quanta malitia humana. 5. 10.
Sagitta in articulum pedis inci-

incidens. 2. 2.
Sana ſemper cur fuerit mulier mala? 3. 4.
Sanctorum omnium feſtum quo modo à pœnitentibus celebratum? 1. 6. vindicta. 2. 10. preces pro peccatoribus. 6. 8. & 7. 2.
Sanguinis miſsio prodeſt ſanitati. 1. 8.
Satisfactio neceſſaria pœnitentibus. 7. 8. quid ſit, & quotuplex? 7. 9. cenſetur etiam eſſe meditatio Paſſionis Chriſti. 7. 10 an Paſſioni Chriſti aliquid addendum à nobis? 7. 12.
Scandalum paſſa filia in diuerſa parentum morte. 3. 6.
Scelerum farrago huius ſæculi. 3. 11.
Securum neminem eſſe debere. 6. 5.
Seiani felicitas rotata 4. 2.
Senſuum cruciatus in inferno. 3. 11.
Seruus apud quos vino abſtinere debeat? 3. 4. amat perditè filiam herilem. 6. 3. ſeqq.
Sicilia regnum inconſtans. 1. 4.
Signa periculi bellici 1. 1.
Sinibaldi Opizoni exemplum pœnitentiæ. 1. 6.
Societas beatorum, vel damnatorum. 3. 8.
Sodalitia ſeſe verberantium. 1. 6. Roſarij pro pœnitentibus S. Dominici. 5. 4.
Sodomorum malitia finis impletus. 2. 10.
Sota Clinici malè caſta. 3. 4.
Spes vana arundini par. 1. 5. Florentinorum vnde? 1. 7.
Spiritu S. priuat peccatum. 4. 14.
Sulphur Tartareum. 3. 8.
Sureſini à qua parte fuerint? 1. 3. Suſpenſi & illuſi Taruiſini. 2. 5.
Suſpenſus nuntius vrbis capta. 2. 7.
Suſpicio mala de bene mortuo 3. 5.
Symphonia ſupra corpora Sanctorum. 7. 7.
TAruiſinorum populatio. 2. 3. ſuſpenſio innocentum. 2. 5.
Taurinates & ipſi inter pœnitentes.

*nitentes.* 1. 6.
*Tempeſtas funus pij viri impedit.* 3. 5.
*Tempeſtiuè pœnitentia agenda.* 3. 11.
*Templorum viſitatio vtilis.* 1. 11. *viſitatio ſuſpecta.* 6. 6.
*Tenebræ Inferorum.* 3. 8.
*Tentationes deſperantium.* 3. 10. *diaboli pœnitentibus ſuperandæ.* 6. 8.
*Terror populi, peccatorũ deformitatem intuentis.* 5. 3.
*Tres pueri in fornace quo animo fuerint?* 1. 8.
*SS. Trinitas contemnitur à peccatore.* 4. 13.
*Turriani à qua parte ſteterint?* 1. 3. *pœnitentes à quibus excluſi?* 1. 6.
*Turris vltimum Alberico refugium.* 2. 3.
*Tuſcia pietas.* 1. 6.
*Tyrannicum Alberici factũ.* 2. 5. & *Icilini.* 2. 7.
VAſtatio vrbis cur cucumerario par? 1. 5. *hoſtilis.* 7. 3.
*Venialia quoq; peccata grauiſſimas pœnas mereri.* 2. 9.
*Verberantium ſe ſodalitas.* 1. 6.
*Verbum Dei quo fine ſit audiendum?* 5. 2. *eius vis.* *ibid.*
*Verecundia prodeſt, & nocet in confeſſione.* 6. 12.
*Vermis damnatorum.* 3. 9.
*Vicecomitum Prætor Mediolani.* 1. 3.
*Victi victores vincent. qui?* 1. 7.
*Victoria per pœnitentiam obtinenda.* 1. 11.
*Vindicta barbara.* 2. 7.
*Vineæ cuſtodia peracta.* 1. 5.
*Vini malus fructus.* 3. 4. *interdictio.* *ibid.*
*Virtutum nomina vitijs data.* 2. 6.
*Vita alterius conſideratio, huius eſt conſolatio.* 3. 10. *contemptus à milite pro gloria.* 4. 9.
*Vitia pro virtutibus haberi.* 2. 6.
*Vnctio extrema quàm malè horreatur?* 5. 10.
*Vocatio Religioſa Virginis mirabilis.* 3. 3.
*Voluntas & omnipotentia in*

*Deo adæquantur.* 6. 9.

*Voluptatis illecebra quàm fallaces?* 3. 6. *ſeq. in inferno doloribus compenſanda teſtis.* 3. 11.

*Vrbes à ſe inuicem pietatem diſcunt.* 1. 6. *Vrraca nouerca animus in Alfonſum.* 4. 2.

*Vxor Alberici ob virum exuſta.* 2. 3. *alia item punita propter maritos.* 2. 5.

*VVandali flagellum Dei flagello digni.* 2. 11.

*Zachai conuerſio.* 5. 5.

*Zacharia ſanguis terminus pœna.* 2. 10.

*Zeb & Zebee rota ſimiles.* 4. 2.

*S. Zenonis caſtrum quàm munitum?* 2. 3. *quo modo dirutum? ibid.*

# FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exem
pla de
vina=fra
P. S. n=
g

640

Th
3084